



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Pars II. de dignitate Perfectionis ex eius adiunctis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

PARS SECVNDA.

De dignitate perfectionis ex eius adiunctis.

HÆC quæ superius dicta sunt, ad ipsam perfectionis naturam pertinent, at nullius rei naturam Deus nudam fecit, sed mirabilibus donis extra essentiam manentibus, quasi vestimentis ornavit, & quasi varia pulchritudine ac decore vestivit. Quod autem rebus etiam vilissimis dedit, perfectioni amantissima sua profectio non negavit, sed miris privilegijs extulit, & nobilissimis proprietatibus tamquam pretiosis donis circumdedit. Hæc autem dona quæ perfectionem efferunt, & sanctos ac perfectos extollunt hæc pars utcumque delibat.

Perfectionem esse huius vite beatitudinem.

CAPVT X.

MAGNA sunt hæc, quæ de perfectione diximus, & humanis oculis, qui omnia sua exiguitate metiuntur, fortassis improbabilia, sed animis diuina sapientia plenis, & aliquo gustu puritatis affectis, licet eximia iudicentur, non tamen dicta incredibilia, sed opera ineffabili maiestate dignissima reputantur. Magna, inquam, & eximia sunt hæc. Quid enim maius, nõ dico esse, sed nec excogitari quidem potest, quam animam ex nihilo factam, & paruulam creaturam perfectionis, ac sanctitatis præsidio in Dei amicitiam prouehi, in eius, qui solus est, & æx, & Dominus cognitionem admitti, & supremi imperatoris non iam ancillam, sed sponsam, & coniugem appellari? Sed his tam magnis & tam mirabilibus perfectionis elogijs, addamus, & alia. Si non maiora, atq; illustriora, at ex parte non inferiora, quæ sicut ligna igni cõsiderationis adiecta gelidum cor nostrum in tantæ dignitatis desiderium inflamment. Primum autem perfectionis bonum, quod nunc post supra dicta sumus explicaturi, à lepida promissione cuiusdam histrionis incipiat. Qui cum in frequenti cõsuetudine promississet, quid omnes ac singuli in animo haberent, quidq; vellent se in sequentibus ludis esse dicturum, atq; ob id non sine ingenti expectatione magna hominum multitudine cõsuerat, his facetissimis verbis suam promissionem exoluit. O ciues vili vultis emere, & carõ vendere. Quod dictum rudi populo, & abiectæ multitudi ni populare, & pũsibile fuit: quippe quæ huic soli vitæ perituræ consulēs, & de animæ vita nihil cogitans communiter emptioni, & vèditiõni ac mercimonijs insilit. Hominibus verò sapientibus, quorum animi ad res maiores & semper duraturas aspirant, non solum falsum, sed ridiculum planè, ac histrionicum iudicabitur. Quid enim his, & turpi lucro, quod nõ solum non quærunt, sed nec respiciunt quidem? Quid illis aterna, & cælestia cupientibus, & auro, atque argento, & opibus & possessionibus congregadis. Merito sanè Augustinus hanc sententiam pro sua modestia non tam reprehendens, quam emendans ait: At si dixisset, omnes beati esse vultis, miseri esse nõ vultis: dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate. Quidquid enim aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus factis nota est, non recedit. Hoc ergo quod omnes homines cupiunt, quod vniuersi volunt, & omnibus quæ cogitant aut faciunt aut aggrediuntur aucupari contendunt hoc, inquam, præstat spiritualis vitæ perfectio, quæ se assequentes à vera miseria eripit, &

A felices, ac beatos efficit.

Duas enim beatitudines homini posse contingere, alteram perfectam in præsentia vita, alteram perfectam, & cõsummatam in alia vita, omnis turba Theologorum edocet, & antiquorum sapientũ consensio, existimatioq; proclamât. Quorum illi sacrarum Scripturarum auctoritati subnixi, quæ aliquos mortales homines propter insignem virtutem beatos vocant, nonnullum odorem beatitudinis esse in hac lachrymarũ valle non negant: isti verò ipso naturali hominis appetitu conuicti, quo semper tranquillitatem, & felicitatem sicut, eandem beatitudinem saltem inchoatam in hac etiam vita possibilem esse autumât. In quo autem hæc beatitudo inchoata consistat, tum apud Philosophos, tum apud nostros magna cõcertatio est. Nam illi tamquam nihil altum, ac sublime sapietes, in bono aliquo naturali, siue ad corpus, siue ad animã, siue ad vtramq; portionem hominis pertinente, (quod Augustinus late profectur) beatitudinẽ istam posuerunt; nostri verò tamquã à Deo per Ecclesiam edocti, eam in aliquo supernaturali bono collocarunt. Non est tamen (vt videtur) nostrorum sapientum vna sententia: quidam enim illorũ huius vitæ felicitatem in contèplatione Dei, alij verò in amore erga Deum, & vera charitate, alij denique in mandatorum obseruatione constituunt. Sed ipsorum dicta si attente legantur, & non tam verba, quam sensus, sub verbis latentes inspiciantur, summa cõsensione beatitudinem in hac vita possibilem, nõ in alio, quam in actibus perfectionis ponunt; atq; ad eadẽ ipsam perfectionem (quæ magis ad actiones ex habitu procedentes, quam ad ipsum habitum referenda est) beatitudinem vitæ huius esse confirmant. Nam qui hanc nostram beatitudinem in contèplatione Dei, & rerum cælestium collocat, non de illa Aristotelica contèplatione loquuntur, quæ ieiuna & arida est, & in sola speculatione consistens, nihil aliud, quam rerũ cognitionem, & ex ea proueniẽtem admirationem inquiri. Sed illam contèplationem intelligunt, quæ ex vera, & intima charitate procedens, & ad eam tendens, hominem ad affectuum mortificationem, ad virtutum exercitationem, & ad omnium mandatorum custodiam impellit. Qui verò illam in amore esse sitam existimât, non cuius amoris charitatis hanc gloriam tribuit, vt nostra beatitudo sit, sed illi, qui ad perfectionem cõuictus in omnibus (prout in hac vita fieri potest) mentem nostram componat, & amorem afficiẽtem erga Deum, quõ ei sua bona volumus, & efficientem diuinæ voluntatis, id est, eorum omnium, quæ Deus vult, & præcipit, comprehendat. Qui tandem in mandatorum obseruantia putant constitutam, non quamcunq; obseruantiam felicitatis nomine dignam iudicabunt, sed illam, quæ à perfecta charitate profecta solertissimè diuinam voluntatem expleat, &

D. Thom.
1. 2. q. 5. a.
3. & 4.

August.
lib. 13. de
Trin. 3.
cap. 3.

constanter madata omnia, ac praecepta custodiat. Hec autem omnia (vt ex dictis perspicuum est) aut ipsa perfectio sunt, aut non possunt a perfectione secerni, quae in perfecta charitate consistens, ad Deum contemplatione noscendum, & ad eius naturam, & voluntatem amandam, & ad mandatorum omnium custodiam inuitat. Et (vt nobis quidem videtur) hi nostri Doctores, non tam in assignanda beatitudine huius vitae dissentiant, quam in explicandis diuersis eius gradibus, ac modis insistant. Eorum enim, qui in Ecclesia vitam contemplatricem sectantur, beatitudo est perfectio charitatis hac viuendi ratione affecta, vt ad purissimam, ac tranquillissimam contemplationem anheler. Illorum autem, qui vitam actiuam colunt, beatitudo est ipsa charitatis perfectio, quae ad omnimodam praeceptorum custodiam instiget. Denique aliorum, qui vitam mistam profitentur, beatitudo est ea perfecta charitas, quae amorem personarum diuinarum, & diuinae voluntatis contineat: quorum ille ad affectus contemplationis, & iste ad sanctam, atque illibatam actionem pertinet. Quare sine isto, siue illo modo loquamur, id est sensus Doctorum nostrorum, eadem sententia, huius vitae beatitudinem in perfectione consistere, nullumque in hac vita beatum esse, nisi illum, qui sit pro modo huius mortalitatis perfectus.

Nos itaque omnium istorum vestigiis inherentes, audacter dicimus vitam spiritualis perfectionem esse huius vitae beatitudinem, & omnem iniquum, infelicem esse, omnem iustum incipientem, aut proficientem, aut in beatitudinem tendere, & beatum esse, ac felicem solum illum, qui sit in charitate perfectus. Dicat nobis sacra Scriptura, cuius dictis tamquam dictis diuinis, summa fides habenda est, quis beatus, & felix censendus sit, vt ex ea primo loco beatitudinis nostrae in hac vita possibilis cognitionem eliciamus. Beatus vir, inquit Propheta regius, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiae non sedit, sed in lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Vide vbi beatus appelleris, o homo, inquit Ambrosius, non in diuitiis, non in potestatibus, & honoribus, non in nobilitate generis, aut decore, & pulchritudine, non in corporis salubritate, in quibus nihil naturae est bonum. Denique non solum facilem conuersionem habent in contraria, verum etiam ministerium ad culpam exhibent ei, qui vti his nesciat. Quis enim iustus propter pecuniam? quis humilis in potestatibus? quis misericors propter nobilitatem? quis castus propter decorem? illecebrosa haec magis sunt ad peccatum, quam fructuosa ad virtutis profectum. Non ergo in his est beatitudo, sed in virtute perfecta, quae sola hoc loco videtur mihi a sancto Propheta descripta. Quis enim nisi perfectus consilia impiorum omnino deserit, instituta peccatorum prorsus fugit, & a cathedra, aut magisterio doctrinae preposere, se penitus immunem custodit? Perfecto nullus. Nam imperfecti suis imperfectionibus, quas amant, quas mordicus tenent, quas a se nullatenus separari permittunt, prauis consiliis aliquantulum acquiescunt; vitam iniquorum saltem a longe sequuntur, & magisterium non bonae doctrinae suis operibus, atque exemplis suscipiunt. Quis nisi perfectus legem Domini promptissima voluntate complectitur, & eius mandata, non tantum vt sciat, sed vt expleat, iugiter meditatur? Certè nullus. Imperfecti namque, & minus in charitate fundati, aut a diuina voluntate deuiant, aut eam non sine magna contradictione appetitus adimplent, & rebus inanibus cogitant, & desiderandis aluere non semper Domini iussa, & quae ad ea referuntur, attenta meditatione considerant.

A Haec ergo beati viri descriptio, si exactè intelligenda est, solum viris perfectis congruit, qui vitiosis affectibus expugnatis, diuina assidue cogitant, & in terris positi, vitam non terrenam, sed caelestem instituunt. Quamobrem alio loco idem sanctus Propheta, hanc vitam caelestem perfectorum respiciens, eius causa perfectos iterum beatos ac felices pronunciat. Beati, inquit, immaculati in via, qui ambulat in lege Domini. Beati, qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum. Perfecti quippe sunt immaculati in via, hoc est, in vita praesentis non quia nullam maculam contrahant, quam absque dubio omnino vitare non possunt, sed quia leues maculas, quibus fragilis natura non semel subest, gratia potè diluit, & lachrymis, & dolore cordis expurgat. Hi etiam sunt, qui testimonia legis diuinae scrutantur, vt Domino non quadam cordis portunculam seruiant, aliis partibus interim in saecularium desideriorum obsequium reuerant, sed vt toto cordis conatu illum velut suam vitam finem, & scopum exquirant. Multa alia sunt in Sacris literis, quae perfecti longo sermone non vacat, quibus studiosus virtutis beatus vocatur, atque adeo perfectio sanctitatis studio beatitudinis appellatio tribuitur. Nam: Beatus vir, inquit, qui timet Dominum, in mandatis eius cupit nimis. Ille videlicet, qui non vt vile mancipium trepidat, sed qui vt filius timet, & mandata Domini non segniter, sed nimis, & perfecte custodit. Et alio loco iterum: Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulat in viis eius: qui scilicet ita timent, vt ex hoc timore filiorum, & charitatis perfecta comite

B ad diuinorum praeceptorum exactam obseruationem procedant. Et rursus apud Salomonem: Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo. Ac si aperius dixisset: hoc est vniuersa hominis beatitudo: hoc est, quod sinus mentis humanae replet, famem sedat, sitim exatit, vltra quod nihil manet, cui homo debeat adherere, aut in quo deceat amorem constituere. Ac tandem conuincit hoc summæ veritatis aperta sententia, quae volens beatos huius vitae Ecclesiae suae manifestos relinquere, his illustrissimis verbis eorum opera & mores descripsit. Beati pauperes, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram, & c. quae sequuntur. Si Deus ipse istorum insignium actuum a virtutibus & donis Spiritus sancti perfectorum exercitatione pollentes, beatos vocat, quis eos beatos esse negare audeat: quis in alio quam in hac virtutis perfectione, quae diuitias deserat, iram, & affectus inordinatos comprimat, voluptates odiat, iniustitiam non dum acceptam desideret, omnibus proficit, interiori habitationem mentis per munditiam, pacemque componat, & persecutiones sustineat, huius vitae felicitate contentus? Haec sanè perfectio virtutis beatitudo est, cui multiplex illud praemium ore Domini proclamatum, adhuc in hac vita promittitur. Perfecti enim sunt, qui ex eo, quod omnè fastum & ambitionem proterunt, & diuitias, opesque contemnant, regnum caelorum, aut patrie caelestis imaginem per quamdam inexplicabilem satietate, & concupiscentiarum tranquillitate accipiunt. Perfecti sunt, qui iram, & indignationem cohibentes, & omnem cordis amaritudinem auercentes, terram cordis sui quieti possident, nec illi furorem dominari permittunt. Perfecti sunt, qui dum saeculi consolatione despiciunt, deliciae caelestes illos mirum in modum consolantur. Perfecti sunt, quorum iustitiae esuries, & puritatis sitis virtutum solidarum alimentis satiatur, & dulcissimo vino cupit puritatis extinguitur. Perfecti sunt, qui dum aliis subueniunt per compassionis affectum, sibi ipsis diuinas miserationes pretio in proximos beneficentiae mercantur. Ipsi sunt qui munditiam cordis, & mentis

Psal. 118.

Psal. 111.

Psal. 127.

Ecc. vii.

Matth. 5.

tranquilli

Psal. i.

Ambr. ad
Psal. i.

tranquillitatem præ omnibus diligentes, filij Dei non solum ab hominibus, sed ab ipso Deo, & Angelis appellatur, & patrem suum (prout in his tenebris fieri potest) oculo sapientiæ, & intellectus intuentur. Ipsi tandem onere perfectionum pressi caput leuant, quia considerant, tribulationibus finitis, se futuros esse cines regni calorum. Isti igitur sunt beati, quos Christus ipse, qui errare non potest, beatos vocat; quos præmio beatitudinum afficit, quos homines etiam, si ratione regantur, felices, & beatos existimant. Quod si ipsi beati sunt, relinquatur, ipsam perfectam virtutem, aut charitatis perfectionem, quæ tanquã radix & origo insignium actionum, eos pauperes, mites, lugentes, elurientes iustitiam, misericordes, mundi corde, pacificos & patientes reddit, ipsam esse felicitatem, ac beatitudinem, qua ipsi felices, ac beati efficiuntur.

Amb. lib. 2. ad Iac. de vita beata. c. 7.

Sapienter ergo Ambrosius, ut perfectionem huius vitæ beatitudinem astruat, vitam beatã cum vita perfectã confundit, his verbis. Vita beata est in hominibus, sed in his scilicet, in quibus fuerit perfectã vita. Perfectã autem vita non sensibilis ista, sed illa rationalis secundum tractationem rationis, & mentis vacuitatẽ, in qua non est portio hominis, sed perfectio, quæ non tã est in conditione hominis, quã in operatione. Ea enim beatum facit. Huic igitur viro, quid est bonum, nisi ipsi sibi, quod habet. Et adest ei hoc bonum, & causa ei erit futurorum bonorum.] Addit etiam hunc hominem perfectum, seu beatum, nihil huius mundi querere, sed illum solum bonum futurum desiderare, quod appetitum nostræ mentis exatiet: illum item non superfluis delectari, sed fragili corpulculo necessarios, si talia sunt, quæ à proposito perfectionis non discrepent, & exteriorem hominem interiori, & Deo reconcilient. Ac demum huius hominis beatitudinem corporis incommodis non intercipi, qui scit in perfectionibus, & contumeliis inuictum animum custodire, & in his, quæ corpus conficiunt, seruare constantiam. Illa omnia, quæ propria hominum beatorum sunt, non possunt nisi in viris perfectis reperiri, qui omnium virtutum cumulo decorati, nouerunt terrena fastidire, cælestia diligere, & corporis molestiis non grauari. Et quidem si horum perfectam virtutem inspicimus, nihil est ad huius vitæ felicitatem necessarium, quod ea mirificè non contineatur. Si enim velimus felicitatem, aut beatitudinem breui oratione definire, dicemus cum Boetio, esse statum omnium bonorum aggregatione perfectum:] Aut esse possessionem Dei ultimi finis nostri, omnia bona secum afferentem, & humanã mentem saturantem. Vnde id quod in hac vita maiorem cum hoc statu, aut cum hac Dei possessione similitudinem habet, & quod magis homo huic possessioni appropinquat, & ad eam plenè accipiendam magis præparatur, atque disponitur, erit huius vitæ beatitudo. Istud autem non est aliud, quã perfectã charitas, in qua (vt dictum est) consistit tota nostra perfectio. Hæc namque possessio Dei, quem omnes iusti vtrumque possident, sed perfecti ita possident, vt solum illum tanquam suum peculium habeant, & in eo solo omnes suas opes omnes suas delicias, omnes suos honores constituant. Venter meus (inquit Ecclesiasticus) conturbatus est querendo illam, nempe sapientiam (quo nomine non superba scientia, sed humilis rerum diuinarum cognitio, perfectã virtute septa intelligitur) propterea bonam possidebo possessionem. Quæ profecto possessio non est alia, quã ipsa Deus, nam illum perfectã charitas in mentem infert, & in cordibus nostris habitare facit. Si igitur perfectio animæ possessio Dei est, ergo & felicitas, & si perfectus Deum ipsum possidet, est ergo beatus, &

Boet. lib. 2. de consol. sol. pro. 2.

Ecl. 51.

A felix. Quid enim potest eo esse felicius, inquit. Profer Regentis Episcopus, cui efficitur suus conditor census, & hereditas eius dignatur esse ipsa diuinitas: si modò cum sanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat, in illo & de illo iugiter viuat, & nihil terrenum cum illo possideat? Quia omnium conditor, cui nihil eorum quæ fecit, valet æquari, non dignatur cum his, quæ cõdidit, possideri. Denique quid ultra querit, cui omnia suus conditor fit, aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit.] O tu ergo, qui mundo contempto, quia minimè finis tui cordis explebat, aliud bonum queris, quod te repleat, te faciat, & te beatum, & felicem efficiat, perfectionem inquire, qua Deum ipsum, ultra quem nihil bonum, nihil pulchrum, nihil desiderabile, & intra quem omnia bona, omnia pulchra, & omnia desiderabilia continentur, felicissimè possidebis. Tunc non sine stupore illud Davidis intelliges: Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei,] quia cum hereditatem tuam experieris, & præmium tuorum laborum agnosces. Tunc scies, quid est: Portio mea, Domine, dixi, custodite legem tuam;] nam hac portione contentus, quæ portio dicitur, quia hereditas tua est, at ipsum totum est, nihil aliud curabis, nisi legem diuinam exactè seruare, cuius custodia hanc tuam hereditatem perfectius in dies, absolutiusque custodias. Tunc demum Leuita spiritualis effectus, & vir Domino consecratus, quia ipse Dominus possessio tua est, sicut promisit tibi Dominus Deus tuus, diuitiis perituris lordidari contemnes. O beata possessio, quam nullum bonum fugit, nihil homini, aut necessarium, aut proficuum præterit, sed ea quæ vna est, omnia honesta, omnia vilia, omnia delectabilia consequitur.

Prosp. lib. 2. de vita cont. c. 16.

Psal. 15.

Psal. 118.

Num. 10.

B Hanc possessionem Dei in perfectã charitate, siue in perfectione vitæ spiritualis positam, omnia alia bona sequuntur ad veram felicitatem, & necessaria, sicut visionem clarã Dei (quæ perfectã possessio Dei est) omnia bona comitantur, quæ ad beatitudinem perfectam requiruntur. Nam si beatitudo huius vitæ exigit contemplationem Dei, tamquam operationem perfectissimam, ac deliciarum plenissimam, qua homo aliquid supernæ patriæ degustat, hæc perfectã charitas affert, aut saltem eius fructum, atque effectum importat. Quid enim faciet homo curis secularibus exolutus, affectuum perturbationibus vacuus, & diuini amoris igne succensus, nisi Deum super omnia dilectum contemplari, & fidei ac sapientiæ oculis res æternas intueri? Aut quem Deus sua contemplatione dignabitur, nisi illum, cuius tota vita est iugis ad contemplationem præparatio, quia est vitiorum abolitio, affectuum ordinatio, virtutum inquisitio? Quem docebit scientiam, inquit Isaias, & quem intelligere faciet auditum?] Et huic interrogationi ita respondet: Ablactatos à lacte, auulsos ab vberibus.] Quia enim perfecti à lacte consolationum terrenarum ablactati sunt, digni censentur, qui à Domino doceantur, & in schola orationis, eius verba, & alloquia percipiant. Quod si vitæ fors alicuius perfecti talis sit, quæ occupationibus externis addicta contemplationis commoditatem præcipiat, at fructum contemplationis non auferet, nec effectum considerationis impedit. Quisnam est contemplationis fructus? nõne sapientia? quam qui consideratione non captat, à Paulo seuerè carpuntur, dum ait: Semper discentes, & numquam ad scientiam veritatis peruenientes?] At hoc fructu perfectus non caret, qui eo ipso quod perfectus est, sapiens etiam esse intelligitur. Quare Bernardus sapientem definiens, virtum etiam perfectum definiuit. Da mihi hominem, inquit, qui ante omnia quidem ex toto se diligit

C

D

E

Isa. 28.

2. Tim. 3.

Bern. ser. 50. in eccl.

Deum, se verò & proximum in quantum diligunt ipsum: inimicum autem tamquam aliquando forsitan dilecturum; porro parentes carnis suae germanius propter naturam, spirituales verò eruditores suos profusius propter gratiam, atque in hunc modum ad cetera quaeque Dei ordinato intendat amore, despiciens terram, suspiciens caelum, utens hoc mundo, tamquam non utens, & inter utenda & fruenda intimo quodam mentis sapore discernens, ut transitoria transitorie, & ad id dumtaxat, quod opus, & pro ut opus est, curet, aeterna desiderio amplectatur aeterno, talem, inquam, da mihi hominem, & ego audacter illum sapientem pronuntio, cui nimirum quaeque res reuera sapiunt, prout sunt.] Hunc Bernardus sapientem, & ego non tantum sapientem, sed & perfectum existimo, quia ea charitate pollet, quae totum hominem Deo consecrat, quae inter amanda perfectum ordinem teneat, quae ita aeterna cupiat, ut temporalia contemnat, & non nisi ad necessarium usum assumat. Habet ergo quisque perfectus, si non contemplationis actum, at contemplationis fructum, qui multò praestantiùs, quam ipse actus hominem beatum efficit.

Sed si huius vitae felicitas, requirit rectitudinem voluntatis, & amorem Dei, haec etiam ita habet perfectio, ut ab eis nulla ratione possit auelli. Imò (ut verius loquamur) ipsa perfectio est voluntatis rectitudo, quae licet minutas maculas sufferat, sine quibus hic esse non possumus, tamen graues offensas, quae voluntatem à Deo auertant, & ad res creatas incurruent, non ex parte, sed penitus extinguit. Est etiam amor, non quidem tepidus, sed feruens, & instar ignis accensus, qui semper ardet, & omnia ad Deum referendo, prout possibile est, in seipsum conuertit. Si exigit purissimas delicias, & sanctissimas voluptates, his quoque perfectio non caret, quae sine dubio sponsa, id est, animae perfectae seruata sunt. Haec introducitur in cellam vinariam, ut harum consolationum vinum vsq; ad satietatem bibat, haec sponsum ad agrum & ad vineas vocat: haec (quod suauis est) ad cubiculum, ad lectum, & ad spirituales amplexus inuitat. Inuitat sponsum, nec tamen ab eo inuitatio respuitur, sed sicut Assuerus conuiuium Esther alacer & laetus admittit, ita Dominus conuiuium perfectae animae libenter acceptat. Quid dico, acceptat? Imò si ipsa, aut negligentior, aut auarior effecta conuiuium parare differat, ipse eam mouet, & monet, ipse eam exsuscitat, ipse se non inuitatus inuitat. Ante iannam cordis astat, & ut sibi aperiat, postulat, rogat, efflagitat, ne sponsa per longum tempus dulcissimo eius orbata consortio, aut terrenas consolationes quaerat, aut alium amatorem admitat. At beatitudo sine perfectione corporis, sine bonis externis, & sine amicorum societate inueniri non potest? Ita sit. Verum haec tria non utcumque, sed cumulatiuè à perfectione promanant. Ipsa enim est, quae corpus infirmum, & imbecillum amoris feruore ad ardua, & laboriosa facienda sustentat: corpus deforme pulchritudine modestiae, & quadam admirabili moderatione à Dei colloquiis profecta componit: corpus affectuum furis exagitatù, à perturbationibus liberat, & inter mille occasiones irae, aut tristitiae indicibili pace tranquillat. Quod licet molestiis naturalibus atteratur, corporibus iniquorum sanis, & crassis, cibo, & potu repletis, serico, & auro circūdati perfectius & felicius est, quia non bestiis passionum in praecipit rapatur, sed gratia animae insidete regitur, & ad omne opus boni, cuius est capax, instruitur. De iniquorum corporibus non ineptè illud Salomonis accipitur: Vidi seruos in equis, & principes ambulantes super

A terram quasi seruos: quia illa in suae infelicitatis augmentum animam, à qua gubernari deberent, grauat, & eam, quae princeps, & regina est, tamquam ancillam vilissimam ad sibi seruendum impellit. De corpore verò viri iusti illud Ecclesiastici potest intelligi: seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua, non defraudes illi libertate, neq; inopem derelinquas illi.] Hoc enim corpus sensatum est, quod rationi subest, quod virtuti pareat, quod nullo modo diuino amori mouenti renititur, cui propterea libertas à vitiis labe, & studiosorum operum opes debetur. Tale igitur corpus licet aut mendicitate prematur, aut doloribus affligatur, aut imbecillitate molestetur, felicitate huius vitae non impedit, sed promouet, siquidè perfectae virtutis instrumentum existit. Perfectio quoq; diuitias comparat, nam ut modò veras diuitias, scilicet virtutes, pretereamus, virum perfectum iuxta saeculum diuitem facit, siquidem eius animi ita à desiderio rerum terrenarum abducit, ut rebus necessariis ad usum vitae contentus (quae paucissima sunt, & moderatissima) reliqua nec quaerat, nec concupiscat. Diues autem est, licet nihil possideat, qui opum, ac diuitiarum cupidus, & amator non est. At fortassis viro iusto, atque perfecto amici deficient? Et quomodò ille amicorum societate carebit, cuius Deus est Pater, Angeli fratres, Sancti sodales, quem diligunt, quae iuuant, pro quo apud communem Dominum intercedunt. Dilcimus ex Bernardo, an Angeli, & sancti iustorum viatorum amicitiam seruet, & societatem expectent. O si cognosceremus & nos, inquit, quomodò expectat & quantum desiderant aduentum nostrum, quam sollicitè quaerunt, quam libenter audiunt bona de nobis? Quid tamen de his loquor, qui didicerunt ex his, quae passi sunt, compassionem, quado & ipsi nos Angeli sancti desiderant? Nonne de vermibus istis, & de puluere isto restaurandi sunt muri caelestis Ierusalè? Putatis quantum desiderant ciues caelestes instaurari ciuitatis suae ruinas? Quomodò solliciti sunt, ut veniant lapides viui, qui coadifcuntur eis: Quomodò discurrunt medij inter nos & Deum fidelissimè portantes ad eum gemitus nostros, & ipsius nobis gratia deuotissime reportantes?] Haec Bernardus; & tu dubitabis, an iusti amicos habeant, qui eos in amicos sibi asciscunt, quorum amor non fictus, non alicui emolumento mixtus, sed purus, & verus, & sanctus est? Tandem si ad beatitudinem pulcherrimorum operum functio requiritur, quare dixit Thomas, quod Deus de beatitudine actiua habet gubernationem totius vniuersi. Haec etiam functio à perfectione non abest, nam in quocumque sit, semper Ecclesiae proficit, quam aut doctrina, aut exemplo, & oratione suffulcit. Perfectio igitur huius vitae felicitas est, & perfecti beati sunt; & illi errant, qui homines diuites, aut honoribus & dignitatibus curis implicatos, aut deliciis affluentes beatos existimant. Quos Spiritus sanctus redarguit dicens: Beatum dixerunt populū cui haec sunt: beatus populus cuius Dominus Deus eius.] Beatus plane qui in Deū fideliter credit, qui in Deo totā spem suā collocat, qui Deum vnicè amat, & omnia quae illi contradicunt spernit, omnia verò quae in ipsum ferunt, propter ipsum amplectitur. Beatus qui amore terrenorum suā mentem non inficit, & desiderio rerum caelestium semper intendit. Beatus qui seipsum vincit, & vestes sordidas primi parentis, Deo rebellis exuit, ac noni hominis Christi insignibus, nempe virtutibus splendet. Beatus, qui Deo & rebus caelestibus cogitandis, & amandis semper vacat, & à corde suo omnē saeculi cogitationem & amorem relegat. Beatus qui inter obreptiones est quietus, inter persecutiones est mitis, inter honores est humilis, quos non refugit, non quia na-

Cant. 1.
Cant. 7.
Cant. 7.
Eccl. 1.
Ester. 5.

Cant. 5.

Eccl. 10.

Eccl. 7.

Bern. ser. 2. in vigilia natalis Domini.

D. Tho. 1. p. 2. 6. a.

Psal. 143.

tura placent, sed ne diuina uoluntati omnia dispo-
nenti resistat. Beatus est homo perfectus, qui filius
est Dei, & haeres caeli, & in hac uita positus aliquid
caelestis uita degustat. Et felices omnes illi, qui curis
superuacuis ablegatis, & tempore seposito ad perfe-
ctionem tendunt, & ad sanctitatem venire festinant,
quia si perseverauerint, & inchoatam felicitatem huius
uita consequentur, & alterius uita perfectam
beatitudinem obtinebunt.

Perfectionem esse praestantissimum opus Dei.

CAPVT XI.

NON est contemnenda ista felicitas, quam in
perfectione, aut animae puritate sitam esse
monstrauimus. Tum quia felicitas est, non
falsa, sed uera, quae desideria nostra replet, & nullum
desiderium, nisi ulterius perfectionis, ad quam non-
dum peruenimus, & aeterna felicitatis, cuius ipsa est
ianua, in nobis dominari sinit. Tum etiam, quia felici-
tatis magna est, cui omnis mundi gloria, & felicitas
comparata modica reputatur, & exigua: ac ideo si sa-
piat, uiros perfectos ueneratur, & libens se sanctitati
submittit. Tum denique, quoniam faciens homines
Dei filios & amicos charissimos, preparatio est, ut
ipsi consummatam beatitudinem consequantur in eo
gradu, quem (cum eximus sit) Deus non peccatori-
bus conuertis, sed sanctis, & amicis cuncta pro eo
contemnentibus dare disposuit. Hoc autem manifes-
tius fiet, si ostenderimus perfectionem esse praestan-
tissimum opus Dei, quod ipse, non uicio uerbo, sicut
mundum uniuersum, sed magnis impetibus fabricauit.
Vocatur uero opus Dei, non quia homo perfectus
in adeptione perfectionis nihil faciat, & uelut inani-
me, & inane uas perfectionem a Domino datam, &
infulsam recipiat. Non, inquam, ob istud, perfectio dicitur
Dei opus, nam aperta, & euident est, quod homo
debet laborare, & magno conatu, & diligentia niti, ut
concupitam perfectionis gemma acquirat. Unde ille
sapiens trapezita margaritam solerter inquisiuit, & ea
inuenta, uendidit omnia, quae habuit, & emit eam.]
Sed quia ad adeptione perfectae iustitiae, imo & om-
nis iustitiae, Deus est qui operatur in homine uelle, &
perficere pro bona uoluntate,] ut non homini, sed
Deo gloria huius molitionis accedat. Quemadmo-
dum enim si ludimagister manu pueri non resistetis
accipiat, & saauiter, ac ordinate moueat, ut optimos,
& pulcherrimos characteres exaret, non pueri opus,
sed praceptoris dicitur esse characterum scriptio: ita
quia Deus pusillum, & infirmum, & incisum homi-
nem mouet, ut sancte, & perfecte uiuat, & lubrico
hominis libero arbitrio manu suae gratiae superim-
ponit, ut bene cogitet, & recte desideret, & ut de-
siderata opere incipiat, prosequatur atque perficiat,
ideo ipse Deus dicitur huius operis, nempe perfe-
ctionis factor, atque molitor, qui in incipientibus
fundamenta perfectionis iacit, in proficientibus ad-
ficationem erigit, in perfectis omnis sanctitatis cul-
mina ponit, qui misericordia sua eos praenit,] ut in
Psalms legimus, & misericordia subsequitur,] ut
opus istud fauste, prosperaque succedat.

Est itaque perfectio opus Dei, ad quam praestan-
dam nullus hominum conatus, nulla fortitudo sola
sufficit. De quibus Propheta canit: Omnes declina-
uerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bon-
num, non est usque ad unum.] Quisnam fortior Da-
uide ad hoc opus aggrediendum? At ille ingenue suam
imbecillitatem fatetur dicens: Edae de custodia ani-
mam meam ad constituendum nomini tuo: me expe-

Astant iusti, donec retribuas mihi.] De ergastulo, atque
carcere propriae miseriae se extrahi rogat, ut Domi-
num (a quo liberandus est) sanctitate operum con-
fiteatur, & iusti, ac sancti, cum Dominus auxilium ad
currendum illi tribuerit, eum in suum consortium &
caerum recipient. Quis fortior Paulo, qui nec terre-
stria, nec caelestia, nec prospera nec aduersa, nec uita-
tam, nec mortem timet? At ille ait: Infelix ego homo,
quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia
Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.] Vbi
corpus mortis, carnem nostram reliquias peccati origi-
nalis infectam appellat, quae nos aut ad flagitia, aut
quemadmodum Cassianus interpretatur saltem pro
conditione sua, ad curas saeculares impellit. Gratia au-
tem & misericordia Dei, & non fortitudine humana
putat a molestiis carnis liberari, ut spiritus perfectio-
nem, & sanctitatem acquirat. Quis denique fortior
sponsa, id est, perfecta anima, quae in Prouerbis no-
men mulieris fortis meruit obtinere? Haec autem quid
dicit? Trahe me post te, curremus in odore unguen-
torum tuorum. Non esset mirum, si hoc adolecentu-
larum aliqua petiuisset, quae a rerum mundanarum
amore, necdum abstracta, se infirmam & inualidam
sentit, ut post Verbum currat, quod exultat ut gi-
gas ad currendam uiam, & sponsi uita imitatione
sequatur. At non adolecentula, sed sponsa trahi pe-
tit, illa scilicet quae iam perfecta est: illa, quae iam
ob adeptam puritatem sponsae nomine digna cense-
tur: illa quae uires a Domino immixtas habet, ut alios
trahat, & ad bonam uita, & ad desideria perfectio-
nis instiget. Haec, inquam, trahi postulat, & post
sponsam illi uelociter efflagitat, ut quisque in-
telligat, quod sicut huius arboris, nempe perfectio-
nis, semina a Deo sunt, ita ab eo debent esse progres-
sus: nec quemquam, quantum uis perfectione polleat,
uolare perfectionem promouere, aut, non dico cu-
bitum, sed nec digitum, aut aliquid minus ad eius sta-
turam adiacere, nisi a Domino robor, & gratiae au-
xilium impetrauerit. Unde Bernardus hanc sponsae
postulationem non de eius desiderio, quo dissolui
cupit, & esse cum Christo, sed de imitatione perfe-
ctionis intelligens, quia non dixit, Trahe me ad te,
sed trahere me post te, ista uerba subiungit. Nunc uero,
quia dicit, post te, magis illud postulare uidetur, ut
conuersationis eius ualeat uestigia sequi, ut possit
annulari uirtutem, & normam tenere uita, & mo-
rum queat apprehendere disciplinam. In his quippe
maxime opus est adiutorio, quo ualeat abnegare, se-
metipsam, & tollere crucem suam, & sic sequi Chri-
stum. Hic prorsus trahi necesse habet sponsa, nec sane
trahi ab alio, quam ab eo qui ait: sine me nihil pote-
stis facere.] Scio, inquit, me nequaquam posse perue-
nire ad te, nisi gradiendo post te, sed neque hoc quidem
nisi adiutam abs te, ideoque precor, ut trahas me post
te.] In sponsa ergo, & in qualibet anima opus est Dei
non sola iustitiae perfectio, sed (quod magis est) quod-
uis principium, quouis gradus, & quouis angustum
iustitiae. Quare merito regius Propheta canit: Beatus
uir, cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo
disposuit in ualle lachrymarum, in loco, quem posuit.]
Ille uidelicet in loco miseriae, ubi Deum eum ad pu-
gnandum collocauit, uirtutum gradus in suo corde di-
sponit, qui a Domino gratiae auxiliu ad laborandum &
uirtutes assequendas accepit. Et alio loco. Non in for-
titudine equi uoluntate habebit, nec in tibiis uiri be-
neplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super
timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia
eius.] Ego puto quod equus & uir, corpus & animam
per typum significant, quorum robur tamquam inuali-
dum & infirmum reijcitur, quia nec illius fortitudo,

Mat. 13.
Philip. 2.
Psal. 58.
Psal. 22.
Psal. 13.
Psal. 141.

Rom. 7.
Cassian. col. 23. c. 15.
Prou. 30.
Cant. 1.
Psal. 18.
Bern. ser. 21. in adu.
Ioan. 15.
Psal. 83.
Psal. 146.

nec

Habac. 3.

nec istius fervor, aliquid ad proficiendum valet, nisi gratia Domini, misericordiaque spiraverit. Et iterum quidam alius Propheta dicit: Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum. Et super excelsa mea deducet me victor in Psalmis canentem.] Ipse, inquit, est virtus mea, & robur meum, qui ponet affectus meos quasi pedes ceruorum, quibus mala fugiam, bona conseruet, & sæculi impedimenta transiliam. Ipse, qui in hoc sæculo mihi fortitudo fuit, erit in futuro sæculo merces & gloria, nam deducet me in excelsa cælorum, vt ipsi mortis & inferni victori carmina laudationis canam, & hymnos pro beneficiis mihi concessis edicam. Hæc omnia Deum esse perfectionis factorem, & omnis veræ iustitiæ datorem clarè, perspicuèque fatentur.

Non solum verò perfectio est opus Dei, verum etiam de ea Dominus tãquam de opere verè magno, atque mirabili gloriatur, & quos Spiritu sancto mouente ad scribendum, & suam Ecclesiam sacris literis illuminandam elegit, apertè docuit, vt sibi istud opus attribuant. Et ego, inquit, quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, & nescierunt, quòd curarem eos. Sicut enim nutritius puerulum suæ curæ demandatum, non aduertentem portat, & ne cadat manibus, & brachiis astrictu gestat: ipse infantulum cibis reficit, pannis cooperit, progredi suauiter docet, & si titubet, statim accedit, à lapsu liberat, & nequam cadere, aut si cadat, nullatenus iacere permittit: ita Dominus sanctorum nutritius & pater, eos aut nescientes, aut nõ animaduertentes brachiis suæ misericordiæ sustentat, alimentis bonorum operu cibis, vestibus virtutum induit, gressus eorum in suis semitis dirigit, ab omni casu arceat, vel si leuiter præ ingenua imbecillitate ceciderint, increpationibus percutit, vt deinceps cautiore euadant, & misericorditer eleuat post ruinam. Qui non cadit huic nutritio, gratias agat, qui post casum erectus est, ei gratias referat, qui in se, aut augmentum seruatoris, aut ornamentum virtutis, aut donum interni luminis, aut snauitatem deuotionis sentit, beneficiorum memor, & Domino gratus existat. Non sibi ipsi bonum adeptæ sanitatis, aut sanctitatis arroget, sed Deo nutritio suo tantum donu adscribat, qui ait: Sanabo contritiones eorum, diligam eos spontaneè, quia auerfus est furor meus ab eis.] Ipse ab ira temperat, & ea, quæ indignationem eius prouocabat, ab intuitu oculorum suoru auertit. Ipse vulnera nostra humanæ infirmitati immedicabilia sanat, & peccatoru cicatrices medicamine proprij cruoris obducit. Ipse gratis sanctos suos diligit, dilectos ad suæ gloriæ consortiu eligit, electos ineffabilibus medijs prædestinat, prædestinatos vocat, vocatos iustificat, iustificatos magnificat, maximis beneficiis prosequitur, à facibus, & luto rerum terrenarum extrahit, & in sceptrum regni, in amicorum dignitatem, atque in magnam sanctitatem extollit. Ita est Domine, tuum opus est sanctitas: Hoc est enim opus tuu, vt credamus, & sequamur, & imitemur eum, quem tu misisti. Tu iustos facis, tu sanctos efficis, tu à peccatis liberas, & in libertatem veræ virtutis deducis. Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluabit eos, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacisti in eis.] Hæc namque terra non parentum hæreditate transfusa, sed à te promissa, excelsa admodum est. Non potest homo manibus virium suarum infirmus, & pedibus affectuum claudus, ad cæca ascendere, aut gladio, & armis expugnare, nisi tu, qui solus es potens, cum illuminatione vultus tui, id est, gratia tua sanes, potentia tua robores, sapientia ducas, præmiis inuites, & te hominum patrem, & peccatorum

Osee 14.

Ioan. 6.

Psal. 43.

A amatorem ostendas. Tu solus es, qui potes in Æthiopia mutare pellem eius, & in pardo varietates eius; qui vales scilicet peccatorum atrorem in innocetiam conuertere, & duplicitem humani cordis in simplicitatem columbæ commutare. Nam quis potest facere mundum de immundo conceptu semine: nõne tu, qui solus es? Ita sanè: Vnde Ieruus tuus Gregorius nos monet. Quisquis occultæ tentationis motus, atque immuditiam cogitationis euicerit, nequam tibi suam munditiam tribuat: quia de immundo cõceptum semine, nullus facere mundum potest, nisi is, qui mundus per semetipsum solus est. Qui ergo iam ad locum munditiæ mente peruenit, conceptionis suæ vitã respiciat, per quam venit, atque inde colligat, quia ex sua virtute nõ habet munditiam viuendi, cui de immuditia factum est initium subsistendi.] Munditiam itaque & puritatem animæ in nobis, tu, qui solus mundus es, facis. Qui (vt est apud eundem Iob) nosti optimè ordinem cæli, & ponis rationem eius in terra,] dum ad vitam & conuersationem cœlestem effers corda terrena, & in latere Ierusalem ciuitatem sanctam delineas, & quod ibi sanctitatis, & perfectionis status affert, hic inter tot miserias, & tentationes gratia pro modulo huius vitæ contribuit. Quamobrem sanctus Amos tuã maiestatem laudans, meritò tibi hoc eximium opus ascribit dicens: Qui ædificat in cælo ascensionem tuam, & fasciculum suum super terram fundauit, qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ, Dominus nomè eius.] Ipse enim es, qui in cælo, nimirum in Angelis, & animabus beatis, sedè tuã extruxisti, & in terra fasciculũ tuum, nempe iustorum congregationem, in star fasciculi, charitatis vinculo colligatam firmiter stabiluisti, & aquas maris, id est, corda sæcularia ab huius sæculi mari euocasti, vt eas vitiorum amarititè purgatas, & ad dulcedinem virtutis redactas super totius orbis faciem effundas, qui exemplis sanctorum irrigatus virefcit, & bonorum operum fructus emittit.

C At opus istud diuinum, quod perfectio est, & sanctitas animæ, non solum opus Dei est, cui illud vniuersa sacrarum literarum tribuit auctoritas, verum etiam inter opera Dei, si vnum, aut alterum opus exceperimus, præcipuum locum sibi vendicat. Mittimus nunc opus incarnationis, & mirabilem illam vnionem Creatoris, & creature, Dei, & hominis, qua Deus homo factus est, & habitauit in nobis, cui competit, quod finis vniuersi, & fructus omnium operum Dei sit, propter quem à Deo omne opus naturæ processit, & omne opus gratiæ manauit. Quare Rupertus Abbas ait, Christus secundum hominem, primum ac præcipuum Spiritus sancti opus, quo pulchrius, aut pretiosius nihil vniquam fecit Deus aut Dei Spiritus nouus hic homo, noua hæc creatura est.] Et tamen hoc opus non fuit ab eo (de quo loquimur) opere perfectionis alienum, siquidem in illo homine Deo, est omnimoda & supra quam excogitari potest, consummata, & infinita perfectio. Tacemus etiam opus gloriæ, quod merces, & præmium est perfectionis, ad quam omnis nostra tendit perfectio. Idèoque Dauid ait: Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: labor cum apparuerit gloria tua.] Vnde constat, quia hoc opus sine perfectione non est, quod vt recipimus, coram Domino cum iustitia, & perfectione apparemus, & gloria esse non potest sine perfecto amore, sine absoluta virtute, ac mètis rectitudine. Sed his duobus Dei operibus prætermisiss, qua fructus perfectionis sunt, nullum est Dei opus, Augeli, & hominis perfectione præstantius. Non elementa, non ex elementis cõposita, non cæli, non astra, nõ luna, non sol; hæc enim omnia intra nature ordinem continen-

Iob. 14.

Grego. 13. mor. cap. ult.

Iob. 38.

Ezech. 4.

Amos. 9.

Ioan. 1.

Rupert. li. 1. de sancto. c. 2.

Psal. 16.

tur.

tur, at perfectio opus supra naturam est, & ideo supra naturam, quia est omni natura superius, quia omnia naturalia praestantia superat, & magnitudine nobilitatis excedit. Perfectio est terra stabilior, aqua limpidior, aere subtilior, igne efficacior, argento, & auro, & gemmis, & pretiosis lapidibus ditior, caelis formosior, astris utilior, luna clarior, ipso sole splendidior, cui omnis natura subest, omnis res naturalis seruit, & nihil est in naturalibus aut magnū, aut pretiosum, aut pulchrum, quod cū gratia valeat comparari. At in operibus gratia perfectio obtinet principatum, est enim gratia perfecta, charitas absoluta, virtutum cumulus à magna contradictione appetitus, & difficultate bene operandi segregatus, quo homo promptè & facilliter (si auxilia Dei actualia adiicias) opera gratiae praestat, & tamquam fontem possidens, scilicet perfectam gratiam, & charitatem, riuos bonarum actionum sine difficultate deriuat. Ad eam quoque omnia gratiae opera tamquam ad finem tendunt, quae incipiunt, vt proficiant, & proficiunt, vt in nobis ad perfectionem veniant, & sanctitatem efficiant. Sicut ergo praestantissimum opus Salomonis fuit illud templum magnificentum, in cultum Domini fabricatum, cui nullum aliud huius regis opus potuit aequari; ita praecipuum opus Christi Saluatoris est perfectionis templum, quod in cordibus nostris ad suum cultum, & venerationem extruit, propter quod extruendum Ecclesiam fundauit, sanguinem fudit, arcana sacramentorum instituit, & à caelo descendit, & opera mirabilia patrauit. Quod corde credimus, & verbis confitemur dicentes, quia propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de caelis.] Salus enim nostra non est alia, quam perfecta iustitia, quae in incipientibus, & proficientibus amplio rem gradum desiderat, vt ad perfectam salutem perueniat. Hoc templum non ex lapidibus, & lignis componitur, quae ignis edax absumat, non auro, & argento & gemmis ornatur, quae rex Babyloniae suarum concubinarum deputet voluptati, sed ex perfecta gratia, & charitate construitur, & virtutibus tamquam auro, & gemmis decoratur, vt auctori omnium Deo, ipso operante, & nobis cooperantibus consecratur. Vis scire quis tā immensos thesauros in huius templi fabricam coaceruauit? Audi Dauidem in figura Domini loquentem. Salomō filius meus puer paruulus est, & delicatus, domus autem, quam aedificari volo Domino, talis esse debet, vt in cunctis regionibus nominetur, praeparabo ergo ei necessaria.] Sicut enim illud templum, figura templi sanctitatis fuit, quod in Ecclesia est extructū, ita Dauid in hoc aeterni patris gestauit imaginē, qui Christo filio suo, & regi nostro pacifico impensas ad huius templi fabricationē praeparauit, dum omnia dedit ei Pater in manus, & ipsum ad consummationem huius operis hominem fecit. Audit ergo Christus à Patre: Ego in misericordia mea praeparauit impensas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, aëris verò & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine, ligna, & lapides praeparari ad vniuersa impendia. O ingentes opes! o eximia diuitiae! o immensi thesauri, quibus charitatis aurum, puritatis argentū, fortitudinis ferrum & aëris, bonorum operum ligna, & stabilitatis lapides continentur! mirū erit, si tam magnis impensis haec aedificatio non in caelum assurgat. Vis etiā scire, quis ex hac tam magna praeparatione hoc templū est architectatus? Audi Zachariam dicentē: Manus Zorobabel fundauerunt domū istam, & manus eius perficient eam.] Et rursus: Ecce vir oriens nomen eius, & subter eum orietur, & aedificat templum Domini. Et ipse extruet templum Domino, & ipse por-

Paralip. c. 22.

Ioan. 13.

Ibidem.

Zach. 4.

Zach. 6.

abit gloriam.] Quisnam est iste Zorobabel ab omni confusione alienus, nisi Christus, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius?] Quisnam est iste vir oriens, nisi Christus, qui in similitudinem germinis pullulauit? Ipse igitur est, qui templum hoc perfectionis fundat, & in Ecclesia domum sanctitatis aedificat. Ipse est, qui sola virtute sua, & sine externis rerum creaturarum praesidiis homines in dignitatem sanctitatis effert, in quibus tamquam in regno suo, & in republica à se fundata sine vlllo fine regnabit. Ex eo autem quod Christus regnat in sanctis, & habitat in illis, vt quod cepit ipse perficiat, prouenit vt sancti retrorsum non abeant, sed dona accepta conferunt, & ea augeant, atq; promoueant. Hinc enim Prosper ait: Verumtamen nec corpus spiritui, nec appetitus obtemperare poterit rationi, nisi Deus, qui ipsum spiritum creauit & corpus, delectatus cogitationibus nostris, requiescat in nobis: ac tamquam verus agricola in agro suo, sic in corde nostro proficiat, vt quicquid in eo fides plantat, deuotio rigat, ipse ad incrementum consummatae maturitatis adducat; atque ita nobis voluntariè sibi subiectis desideria mala subiiciat, vt ex ipsis actibus nostris, quis sit habitator noster, & cuius in nobis fiat voluntas, appareat.] Et verè ita est, quod ex ipsa sanctorum vita, atque ex iustorum actionibus constat, à quonā ipsi regantur, & cuius sit opus iustitia, quae in sanctis elucet. Quis enim potuit homines ad malum procliuēs, ad bonum impellere, & à malo dimouere, nisi ille qui pedes sanctorum seruabit, & tamē impij culpa sua in tenebris conticescent, quia non in fortitudine sua roborabitur vir. Si quando ergo, o tu, qui haec legis, perfectionis donum apprehēderis, & arcem istam Domini ex gratia operando, & laborando expugnaueris, ne tuis viribus hoc opus attribuas, neue huius templi aedificationem tuā deputes industriae, sed scito, quia est opus Dei. Hoc corde, & mente tamquam certum, & indubitatum intellige: hoc verbis, & ore, cū fuerit opus, confitere: vt Deum tuum, qui te vocauit, qui te à peccatis eripuit, & ad iustitiam traxit, tota mentis alacritate collaudes, & huius beneficij gratia sine vlla interruptione famuleris. Fac quod rex Amasias, de quo in libro Regum dicitur: Ipse percussit Edom in valle salinarum decem millia, & apprehendit petram in praelio, vocauitq; nomen eius Iechel vsque in praesentem diem.] Si enim in statu religionis aut in valle humilitatis, & penitentiae viuens mundum in Edom significatum percusseris, & omnes eius conatus, illecebrasq; prostraueris, si rupem, excelsam, & penè inaccessibleem perfectionis apprehenderis, voca eam Iechel, id est, auxilium Dei, ipso nomine manifestè denuncians, Deum esse, qui auxiliatus est tui, qui hoc magnum, & mirabile opus fecit, qui hanc gloriosam victoriam tibi cōcessit. Hoc verò nomen numquam in aliud mutes, hoc est, numquam aliud sentias, numquam aliud dicas, nisi illud sancti Dauid: Deus est, qui accinxit me fortitudine; & complanauit perfectam viam meam; coaequans pedes meos ceruis, & super excelsa mea statuens me, docens manus meas ad praelium, & componens quasi arcum aereum brachia mea.] Si verò nondum arcem cepisti, nondum bellum viciisti, nondum templum iustitiae perfectae Domino, & ciuitatem sanctam in loco pacis aedificasti, clama ad Dominum, cuius hoc est opus, & dic ei: Benigne fac Domine in bona voluntate tua Sion, vt aedificentur muri Ierusalem.] Sentiam o Deus meus benignitatem tuam, experiar misericordiam tuam, quae in corde meo vibem sanctitatis cōstruat, fundamentum humilitatis laiciat, & muros tuae protectionis aedificet.

1. Petri 2.

Prosp. lib. 3. de vita cō. c. 26.

1. Reg. 2.

4. Reg. 14.

2. Regum 22.

2. Sal. 50.

Perfectio

Perfectionem non alijs quàm Dei
amicissimus esse concessam.

CAPVT XII.



QVAM magnum sit hoc opus Dei, quod animam perfectio dicitur, ex superioribus satis colligitur, dum ipsum, post opus incarnationis, & glorificationis maximū, ac præcipuum astruximus. Sed eius nobilitas ex alia quoque ratione claret, ex his scilicet, quibus Dominus perfectione concedit, & cumulum omnium virtutum sub ea contentarum imperit. Hoc enim perfectionis donum, non quibuscumque, sed animabus dilectissimis, & Deo amicissimis reservatum est, à cuius participatione non solum nō amici, verum etiam qui non sunt intimi, & familiarissimi Dei amici, sine vlla nota iniustitiæ, aut rigoris arcentur. Mundum hunc visibilem, mirabili ratione compositum, & incomparabili pulchritudine decoratū, Dominus cunctis hominibus in communi proposuit, quibus dixit: Crescite, & multiplicamini, & replete terrā, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram.] Quin & à rerum visibilium dominatu impios, & peccatores non semouit: Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos.] Ac idē isti opes possident, immensam auri & argenti copiam in suū vltum coalescunt, gemmis, & pretiosis lapidibus fulgent, odoramentorum suauitate potiuntur, & deliciarū, ac voluptatū variis generibus delectantur. Quorum auratam felicitatem, & rerum temporalium abundantiam sanctus Iob sub hac verborum serie describit. Quare ergo impij viuunt, subleuati sunt, confortatique diuitijs: semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt, & pacatæ, & non est virga Dei super illos. Bos eorum concepit, & non abortiuit, vacca peperit, & non est priuata foetu suo: Egrediuntur quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant iustibus. Tenent tympanum, & citharam, & gaudent ad sonitū organi. Ducunt in bonis diēs suos, & in puncto ad inferna descendunt.] Gregorius quoque hac ratione nobis proposita ad despectum bonorum temporalium inuitat, dicens: Quam enim sunt despicienda, iustus considerat, quæ Deus omnipotens etiā peruersis præstat. Si enim principaliter magna essent, nequaquam conditor hæc aduersariis suis tribueret. Vnde & indignum sibi esse perpendit, vt illa bona appetat, quæ abundare conspiciat & malis, sed ad percipienda cælestia mentem suam dirigit, quæ sibi cum reprobis communia esse non possunt.] Bona ista mundana valde exilia sunt, quæ talibus dantur, & malis, ac Dei hostibus, qui (vt est in eodem loco) in diem perditionis seruantur, & in diem furoris dacentur, sine vlla mensura permittuntur. Quorū bonorum exilitatem imperfectus quisque, & minus in charitate fundatus nondum intelligens, in consideratione diuinorum iudiciorum titubat, & quasi suorum laborum mercedem desperās, à Dei obsequio, & famulatu desciscit. In cuius persona, ait beatus Dauid: Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo, quibus scilicet prospera secularia vniuersa succedūt, obtinuerunt diuitias. Et dixi, ergo sine causa iustificauit cor meum, & laui inter innocētes manus meas.] Quod utique non dixisset, si hanc diuitiarum copiam, & rerum visibilium abundantiam (sicut fœdera est) contemptibilem ac vilem reputasset. Nec iudicasset suam iustitiam & innocentiam mercede va-

Genes. 1.

Matth. 5.

Iob 21.

Grego. 13. mor. c. 14.

Iob 21.

Psal. 74.

A quam, quam bona peritura non expleat, si bona in æternum duratura crucis, & mortificationis sustentationem exoluent. Facit Deus cum impijs, quod aliquis Rex faceret cum subditis sibi rebellibus, & à suo regno per inobedientiam, & defectionem separatis, quos nequaquam sua amicitia dignos censeret, aut potioribus sui regni bonis afficeret, at (etiam si posset) nullo modo alimentis ad vitam conseruandam necessarijs priuaret, vt opportunitatem illis respicientiæ daret, aut regiam clementiam ostenderet, per quam non steterit, quin ipsi sententiam mutarent, & ad debitam subiectionem redirent: ita Dominus impijs, & hostibus suis non semel hæc minima bona, aurum, & argentum, & cæteras res vsui humanæ vite seruientes concedit, vt aliquando tandem oculos in cælum efferant, & datorem agnoscat, & illi, quem omnium bonorum originem vident, se toto corde subijciant.

B Habet tamen Deus alia bona his sine vlla comparatione potiora, quæ non hostibus, non mancipijs vilissimis, sed solis seruis fidelibus, & amicis sibi prædictis concedit. Hæc autem sunt gratia, quæ homines Deiferos reddit, & cōsortes diuinitatis efficit, charitas, quæ amicos Dei facit, & sanctos: humilitas, quæ oculos aperit, vt quisque se videat, & non super capita aliorū, sed in loco sibi congruo, & accommodato constituat: puritas, quæ carnis spurcitas fugiat; paupertas, quæ curas luti, & stercoris, id est, bonorum visibilium deserat; obedientia, quæ propter Deū homini se subijciant, & (vt vno verbo dicam) omnium virtutum chorus, quæ animā ornant, & ad omne opus bonum instructam efficiūt. Hæc sunt vera bona, quæ hominem faciunt bonum. Nam diuitiæ sunt bonæ (inquit Augustinus) vnde homo facit bene, non quæ ipsam faciant bonum. Hæc sunt bona vtilia, quibus quisque inter bona, quæ possidet, redditur bonus. Hæc sunt bona maiora, quæ non ad corruptibile corpus pertinent, sed animā præcipuam hominis partem afficiūt.

C Hæc sunt amplissima diuitiæ, quibus homo auro, & argento vacuus, & extrema medicitate pressus diues dicitur. Diuitibus huius sæculi præcipe, inquit Paulus, non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarū,] vt intelligas, quod si diuites huius sæculi sunt, qui aurum, & argentum, & res temporales possident, diuites alterius sæculi, quod nūquam finem habebit, sunt, qui gratiam & charitatem, & reliquas virtutes recondant. Sicut autem illud sæculum æternum, præstat caduco & perituro, ita bona sæculi illius meliora sunt iis, quæ sæculum istud custodit. Quæ multo melius, ac præstabilius, quàm bona ista visibilia hominem diuitem, & amplissimis bonis instructum faciunt. Vnde Ambrosius rectè ait: Nescis, o homo, struere diuitias. Si vis diues esse, esto pauper sæculo, vt sis diues Deo. Diues fidei, diues est Deo. Qui diues est in misericordia, hic est diues in Deo. Diues in simplicitate, diues Deo est. Diues sapientiæ & scientiæ, diues est Deo. Sunt qui in paupertate abundant, & qui in diuitijs egeant. Abundant pauperes, quorum profunda paupertas abundauit in diuitijs simplicitatis suæ,] diuites autem egerunt, & esurierunt. Et Chrylóstomus diuitem Deo, id est, diuitem verum putat, non qui facultates suas occultat, sed qui dispergit, & opera virtutum recondit. Ille verè diues est, inquit, qui in Deo diues est, qui magis misericordia opulentus, quàm diuitijs, facultates suas cum pauperibus diuidit, qui locupletem se dando magis, quàm habendo ostendit, qui ad hoc se meminit habere diuitias, vt sceneretur Deo, pacat Christum, vestiat Dominum, qui patrimonium suum non ingrato hæredi quarat relinquere, sed per pauperes Christo illud desideret.

Aug. ser. 236. de tempore.

1. Tim. 6.

Amb. lib. de Nabuch. c. 14.

Chryl. homil. de misericordia. so. 5.

commodare, qui diuitias cælo magis quam mundo commendat, qui desiderat potius esse opere, quam sua substantia facultate, qui thesauros suos ad superna transmittit, qui ad hoc uiuit, ut operetur, qui ad hoc operatur, ut in æternum uiuere mereatur, qui uiduarum casibus flebitur, & pupillorum miseria commouetur, qui dolentium causam suscipit, & arrogantiam superbiorum abiicit.] Hæc itaque uirtutum diuitiæ, hæc uera bona non omnibus hominibus, sed solis Dei amicis seruata sunt. Non ea habet infideles, licet monarchæ sint orbis, licet totius mundi dominari sustineant, quia fide carent, quæ est horum bonorum ianua, uirtutum sustentaculum, gratiæ fundamentum. Non ea obtinet fideles impij, qui de sola fide gloria gloriantur, & opera fide digna exercere detestantur, qui ambulat in uelamentis ouium, & intrinsecus sunt lupi rapaces, & quæ mundi sunt, auidè rapiunt, quæ uerò Dei sunt, præ incuria & cecitate despiciunt. Non hæc bona assequitur superbus, nisi superbiam exuat, quia initium omnis peccati, quod his bonis contradicit, superbia est: non ambitiosus, nisi ambitionem deponat, quia tinea humilitatis, quæ bona spiritualia conseruat, ambitio est: non iracundus, non auarus, non impurus, quia hostis gratiæ atque uirtutis iracundia, & cupiditas, & immunditia est. Sed ista bona dantur amicis Dei, illis uidelicet, quos Deus per gratiam sui similes facit, per charitatem in suam amicitiam & familiaritatem inuolat, & per dona pretiosa uirtutum in uitæ cælestis, atque Angelicæ imitationem extollit. Et quia isti inimicis, ac peccatoribus pauciores sunt, stultorum enim infinitus est numerus.] & multi sunt uocati, pauci uerò electi:] idè inquit Gregorius, quod pauci sunt, qui dona spiritualia percipiunt, & multi qui rebus temporalibus abundant. Ex quo illud colligendum est, quod sicut pauci meliores sunt multis, ita hæc dona paucioribus collata meliora, & pretiosiora sunt ijs, quæ multis, id est, iniquis, & peccatoribus tribuantur. De quibus donis inquit Paulus: Bonum autem æmulamini in bono semper, uel (ut legit Ambrosius) æmulamini meliora dona, quæ (ut ipse sanctus doctor ait) sunt bona spiritualia. Vtque meliora, quia meliores nos ipsos faciunt, & non in superbiam nos erigunt, sicut bona temporalia, sed Deo gratos, & amicos constituunt.

At inter amicos Dei, sunt amicissimi, & inter familiares sunt familiarissimi, & inter dilectos sunt quidam dilectissimi. Quod ipse sponsus in cantico canticorum aperte fatetur, dicens: Comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.] Sicut enim aliud est moderatè bibere, aliud uerò inebriari, & præ satiæ spirituales uinæ proprio sensu dimoueri, ita alij sunt amici Dei, quibus esca, & potus datur, alij uerò charissimi, aut amicissimi, quibus tanta abundantia uini cælestis ingeritur, ut præ satiæ inebrientur. Quas duas amicorum & amicissimorum sortes Gregorius manifestè in hunc modum expressit. Sunt quidem in sancta Ecclesia, qui sic præcepta diuina audiunt, ut cælestia, plus quam terrena amare discant, pro eorum desiderio multa pauperibus tribuant: à prauis operibus se custodiant: nulla alicui uolenter rapiant: Ecclesiæ prædicationem libenter audiant: in fide se instruant: quam & operibus sanctis exercent: & tamen uxores habent, pignora nutriunt, res suas diligunt; quamuis his omnibus Christum præponant. Hi profecto comedunt, & amici sunt, quia sanctam Scripturam audientes, talem sibi refectionem assument, ut cæsi ad summam perfectionem adhuc non assurgunt, tamen secundum modum suum perfecti sine crimine uiuant. Sunt uerò alij, qui tanta auiditate diuinam Scripturam au-

diunt, uel legunt, ut protinus cunctis terrenis operibus abdicatis, sola cælestia ambiant, parentes, uxores, domos, filios etiam, & omnia transitoria abiciant, solummodo Christum sequi, & amplecti concupiscant. Eius desiderio se affligunt ieiunijs, afficiunt lacrymis, exercent meditationibus diuinis, sola quæ sunt æterna cogitant, contemplationibus vacant, ad hoc laborantes, ut ea, quæ retrò sunt, obliuiscant, in anteriora magis ac magis se extendant. Quid profecto isti, quid aliud agunt, nisi bibentes inebriantur, uel dum omnium terrenorum per desiderium obliuiscuntur, iure à sponso cælesti non tantum amici, sed & charissimi uocari mereantur.] Et iure Dominus, quia omnia iuste disponit, iustorum hominum quosdam amicos, alios uerò amicissimos habet, quia non æqua omnium hominum electio, non æqualis in Deum amor, non par fidelitas, & sollicitudo purgandæ mentis est; quare nec debuerunt ad æqualem eum Deo familiaritatem erigi, nec in parem amicitiam admitti. Etenim Dominus dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt, & qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.] Ecce populos, ecce sanctos, ecce appropinquantem pedibus Domini, & in his diuersas hominum sortes intellige. Populi sunt, qui Domino potestatis iure subdantur, quos etiam diligit, & legem, ac iura profert in dilectionis indicium. Sancti sunt amici, & iusti, qui manu Domini, id est, protectione eius specialius defenduntur. Appropinquantem pedibus Domini, sunt perfecti, seu amicissimi, qui è vicino uestigia Christi sequuntur, uitæ puritatem imitantur, & doctrina eius imbuuntur.

Quorum cæteris dilectissimo Iacobi filio præsignatus est: nam licet sanctus patriarcha filios omnes amaauerit, minimum uerò præ omnibus dilexit, & dilectissimum nominauit. De quo in Deuteronomio quoque scribitur: Benjamin amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.] Quid enim per Benjamin, id est, per filium dexteræ cõuenientius accipitur, quam omnium perfectorum cæteris, in quo Deus dexteram suam, hoc est, filium suum palestris depinxit, & in extremo die ad dexteram filij præcipuum locum obtinebit: Iste perfectorum cæteris est Domino amantissimus, quia non amicos tantum, sed amicissimos Dei continet, qui in eius corde iugiter, cogitatione, & desiderio, & amore habitant, & in eo quasi in thalamo quietationis commorantur, & dum uident se à Domino quasi humeris sustineri, ne cadant, in illo quasi in loco refugij confidunt, & ueluti in arcem munitissima securi quiescunt.

His amicissimis Dei perfectio tamquam optimum uinum in sine conuiuij propinandum, seruata est, quia post multos labores in uita spirituali exantlatos, post multos gemitus ab imo cordis emisos, post multas lacrymas ob desiderium puritatis effusas, tandem optimum uinum bibunt, & cælesti sicera inebriantur, cum desiderij cordis sui, id est, perfectæ charitatem recipiunt. Nonne amicissima Dei Virgo Beata, quæ sponsa inter adolescentulas, & columba dilectissima inter reginas appellata est? Nonne amicissimi Apostoli (ut nunc ueteris testamenti patres omittam) quos Deus Ecclesiæ patres, & principes super omnem terram constituit?] Nonne amicissimi martyres, quibus donatum est pro Christo, non solum, ut in ipsum crederet, sed & ut pro illo paterentur. Nonne amicissimi Pontifices, quos Deus ad sacrificandum hostiæ laudis, sibi sacerdotes elegit? Nonne amicissimi doctores, quorum ora in medio Ecclesiæ aperuit, & spiritus sapientiæ & intellectus repleuit? Nonne amicissimi cõfessores, quorum manus lucernis

Eccle. 10.

Eccle. 1.
Matth. 22.
Greg. h. 5.
10. in
Euang.Gala. 10.
Amb. ibi.

Cant. 5.

Greg. in
cant. 65.

Deut. 33.

Deut. 33.

Cant. 1. 6.

Psal. 64.

bonorum operum decorauit, & lumbos cinctorio castitatis, & continentiae praecinxit: Nonne amicissima virgines, quae à latere agni non discedentes sequuntur eum, quocumque ierit? Nonne amicissimi, qui nunc in Ecclesia militantes istorum & istarum vitam & mores imitantur, & tamquam futuri Angelorum & Archangelorum socij ab vniuersis caelestibus respiciunt? Profus hi omnes amicissimi Dei sunt, quia illos Deus vehemētius, quàm communes iustos, & ardentius diligit, & illi Deum fidelius & accuratius amant, pro cuius amore non solum omnia creata despiciunt, verum seiplos quoque sincerissimo affectu contemnunt. Sed istis solis, gemma sanctitatis datur, margarita summae virtutis tribuitur, & thesaurus perfectionis tamquam res immensa dignitatis conceditur. Istis perfectio datur, nō quia amicissimi Dei erāt, sed vt amicissimi Dei sint. Quia, vt ait Bernardus, licet Christus velit gloriosam sponfam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, non tamen quaerit talem. Vbi enim illam inueniret? sed talem potius ipse facit, talem sibi exhibet ipse.] Vnde istud, & quidem eximium habet perfectio, quod non amicissimos Dei homines reperit, sed amicissimos, & Dei simillimos ipsa constituit. Hac Dominus, quos, vt sibi amicissimi essent, elegit, hereditate multiplicat. Nam sicut Abraham cuncta, quae possederat, dedit Isaac, & filiis minus principalium vxorum largitus est munera;] ita vniuersalis, omnium iustorum Pater, communibus iustis tamquam filiis dilectis magna virtutum dona largitur, sed perfectio tamquam filio dilectissimo amplissimam perfectionis hereditatem attribuit: quae non minus communi tepidorum virtuti praeferenda est, quàm specialibus donis, amicis testamento legatis, filio primogenito data vniuersalis hereditas. A quo mysterio sub litera huius serie contacto non multum Ambrosius abhorret, qui loquens de perfectis virtutum disciplinis haec ait: Has nobis substituamus haeredes, quas sanctus Abraham in Isaac filio suo substituit sibi, omnem operum suorum deputans hereditatem, sapienti & iusto viro, nec vllum ius hereditarium ancillis, vel ancillam filiis derelinquens, sed tantummodo donationis munera. Perfectae enim virtutes totum accipiunt gloriae patrimonium, vtilitatis, & mediocribus vile aliquid aspergitur.] Perspice quanti Deus faciat virtutes magnas, atque perfectas, quas hereditatem suam reputat, & altissimo praemio complet, & quàm dignae sunt, quae solis ad intimam amicitiam electis tribuantur. Equidem iudico hanc perfectarum virtutum hereditatem (quae perfectione significatur) in illa amplissima parte esse quoque figuratam, quam Iacob filio Ioseph donauit dicens: Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.] O bona pars in Sichem, quam Ioseph vltra suos fratres accepit, merito praesignata; quoniam dum Sichem interpretatur humerus, perfectionem indicat, qua velut humero, & illo fortissimo, dominus iniquorum peccata, & tepidorum imperfectiones, & defectus supportat. Hanc tulit Dominus de manu Amorrhæi in gladio, & arcu suo, quia Angelum apostatam, qui erat perfectus in decore suo, ob superbiam, qua contra Deum elatus est, sanctitate spoliavit, & armis suae potentiae deuicit; eaque dedit Ioseph, id est, viro perfecto dilectissimo filio suo, illi scilicet, qui fratribus suis iniurijs in ipsum iniurias remittit, dum non solum amicos, sed inimicos diligit, & populo famem patienti, tamquam fidelis seruus cibum in tempore, verbo, & exemplo subministrat.

Est igitur perfectio paucorum, illorum scilicet,

qui seiplos strenuè abnegantes, & omnia mundana proterentes, Deum solum quaerunt, & eius intimam amicitiam suspirant. Quam vt habeant, & suo voto satisfaciant, ipsa perfectione, quae ipsos Deo amicissimos reddit, diuina liberalitate ditantur. Atque adeo eximium Dei opus est perfectio, & veluti pretiosissima & splendidissima gemma, quae, solis admissis ad intimam Dei amicitiam, datur, imò & vt sint amicissimi ipsa confertur. Et si hoc ita est, quid restat, nisi vt illud Pauli seridè perpendamus: Nescitis quod ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? sic currite, vt comprehendatis?] Stadium vita est à saeculi curis auulsa, in qua tamquam in curriculo nobis demonstrato currimus, & ad patriam festinamus. Currentes sunt religiosi, aut quicumque alij vitam spiritualem colentes, & mundi curas & sollicitudines auerfantes. Brauium est perfectionis palma seiplos vincuntibus deputata, & gnauiter in stadio decertatibus. Et meritò in brauium perfectio signata est, quia sicut brauium (vt dicitur) erat vestis ex palmis contexta; ita perfectio, & vestis est, quia est vniuersalis virtus, totum hominem circūdas, & regens, & ex palmis textitur, quoniam ex omnium vitiorum & prauorum affectuum victorijs coagmentatur. Brauium erat velut origo magnorum honorum & diuitiarum; & spiritualis vitae perfectio est, quae nos in possessionem magnarum opum caelestium infert, & in honorem Dei amicissimorum extollit. In saeculari curriculo, siue stadio, omnes quidem currunt, sed vnus palmam reportat, & in spirituali multi currunt, sed paucissimi sunt, qui brauium perfectionis accipiant. Sic ergo curramus, vt ex paucissimis simus: sic curramus, vt perfectionem comprehendamus; sic curramus, vt dignitatem amicissimorum assequamur. Si enim infame est in stadio mundi vinci, & non reportare palmam, quam ceteris vacuis, & victis permanentibus, vnus tantum reportat, quàm miserabilius & luctuosius erit, in vitæ spiritualis stadio perfectionem non consequi, quam non vnus tantum potest accipere, sed omnes illi, qui feruidè viam mandatorum diuinorum cucurrerint, & aduersus seiplos decertauerint?

*Perfectionem maxima gloria
Deum afficere.*

C A P. XIII.



O c Dei opus magnum & excelsum, quod ipse in suis amicissimis operatur, adeo suum auctorem glorificat, vt nihil sit in Ecclesia, quod aequè, atque illud, Dei sapientiam, potentiam, ac bonitatem ostendat. Nam si opus, quo magnificentius est, eo melius artificis peritiam & sapientiam declarat, quid aptius Dei sapientiam declarabit, quàm illud opus, in quo non tantum vestigium Dei patet, non naturalis imago lucet, sed supernaturalis figura, eaque purcherrima diuinæ sanctitatis & puritatis apparet? Si victoria, quo maior, & difficilior est, eo efficacius ducis fortitudinem & strenuitatem patefaciat, quid efficacius Dei potentiam patefaciat, quàm illa perfecta victoria, qua mundum, Diabolum, & carnem in nobis vincit, ex terrenis caelestes efficit, & peccatorem non in comunem iustum solum, verum in virum quoque sanctum, & perfectum transformat? Si donum quod pretiosius est, eo praestantius datoris bonitatem, & liberalitatem comonstrat, quid praestantius diuinam bonitatem monstrabit, quàm illud donum, quo Deus spiritum sanctum

suum

*Ber. ser. in
natals
108. Bap.*

Gen. 25.

*Amb. lib.
1. de Cain
& Abel.
c. 6.*

Gen. 48.

1. Cor. 9.

sum infundit in nobis, & cum eo vniuersa virtutum dona communicat. Valde quidem Deum glorificat huius admirabilis mundi creatio, qua ex nihilo vniuersa fabrefecit, celi vno seiplos tenore ciētes, & sol, & luna, & astra splendore decora, & nostram regionem illuminantia. & elementa contraria, tanta concordia, & pace coniuncta, & terra, tam multa, tam varia, tam vtilia in vsum mortalium liberaliter procreans, & reliqua omnia sub gremio naturæ contenta nimis suum auctorem collaudant, eiusque infinitam perfectionem magnificant, at sine vlla comparatione melius, & efficacius vnus viri perfecti sanctitas diuinā virtutem effert, & cōditoris nostri mirabiles perfectiones atollit. Illa enim omnia naturalia Dei vestigia sunt, qua tamquam pedis impressio in arena relicta magnitudinem Dei, non sine quodam discursu, & ratiocinatione mentis, ostendunt: sanctitas verò non vestigium, sed similitudo Dei est, quæ substantiæ animæ impressa, & animæ viribus insculpta, ita Dei sanctitatem, misericordiam, benignitatem, & reliquas virtutes representat, vt iam homo non semen veteris Adæ, sed filius Dei, non creatura terrestris, sed res diuina, & cœlestis appareat. Ideo sancti, & perfecti viri in Scriptura sacra, & filij Dei, & Dij appellati sunt, quoniam Dei proprietates induunt, & quasi Dij quidam per sanctitatis participationem alios homines, qui solum sunt homines, magnitudine perfectionis excellunt. Ad quos tamquam ad mēbra Christi viuida applicare possumus quod Christus ipse de se dixit: si illos scriptura dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, qui scilicet legem à Deo per Moysen latam receperunt, quanto magis dicemus Deos, quos Deus ipse sanctificauit, & misit in mundum, vt mundum vniuersum sua præsentia nobilitarent, & tamquam verum sal exēplo, & doctrina salirent. Dij profecto sunt; nam ideo Moyses Deus Pharaonis vocatus est, non quia natura Deus esset, sed quia virtute Dei imitationē induerat. Etenim victor passionū omnium, inquit Ambrosius, nec vllis captus sæculi illecebris, qui omnē istā secundum corpus habitationē cœlestis puritate cōuersationis obduxerat, mentem regēs, carnem subiiciens, & regia quadā auctoritate castigans, nomine Dei vocatus est, ad cuius similitudinē se virtutis vbertate formauerat. Sicut ergo Deus sui ipsius gloria est, & nulla res magis Deū, quam ipse seipsum glorificat, ita præter Deū nihil amplius ipsū in terris glorificat, quam sancti, qui Dei nomen quodammodo obtinere meruerūt, & eo se sicut Deo propinquiores, ita diuinæ gloriæ præcipuos laudatores iudicarunt.

Et verò, quod Deū (quantum ad se attinet) ignominia afficit, peccatum est, illud præcipuè quod grauius & inuerecundius aliquod diuinum mandatum transgreditur. Quare adulterio cum Bethsabee, & homicidio Viri à Dauide patrato hæc nota confusionis inuritur, quòd in Deum blasphemias ignominialque cōgesserit. Verum tamen, inquit Nathan, quoniam blasphemare fecisti nomē Domini propter verbum hoc, filius, qui natus est tibi, morte morietur. Et Isaias ait: Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequā, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, ab alienati sunt retrorsum. Nec non & Ieremias falsorum prophetarum mores describens ait: Dicunt his, qui blasphemāt me, id est, his, qui peccatis suis irritant me, atque laceffunt, locutus est Dominus, pax erit vobis, & omni qui ambulat in prauitate cordis sui dixerūt: Nō veniet super vos malū. Si ergo peccata in Deū iniuriola sunt, eique dedecus, & ignominiam irrogāt, sanctitas atque perfectio omni crimini, ac graui peccato contraria, Deo maximū honorē & gloriā reportat. Quo argu-

Ioan. 10.

Exod. 9.

Amb. lib. 1. de Cain c. 2.

2. Reg. 12.

Isa. 1.

Ier. 23.

A méro vltus est Augustinus, dicēs: Si per tales (id est per malos) nomen Dei blasphematur, per bonos nomen Dei laudatur. Audi Apostolū: Christi bonus odor summus inquit, in omni loco. Dicitur & in Canticis canticorū: Oleū effusum nomē tuū. Ita assertus hic pater. Et ad idē Dauid canit: Deus, qui glorificatur in cōcilio sanctorum, magnus & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt. Nā ex sanctorū cœtu magnā sibi gloriā assūmit, in quibus & suæ potētiae magnitudinem, & suæ Deitatis cultum, ac reuerentiā tamquā in gloriosa sede maiestatis ostentat. Et Paulus nos admonet dicens: Glorificare & portate Deū in corpore vestro. Quia nos legem diuinā custodire, & iustitiā sectari, Deo reputatur ad gloriā, & Christū imitari, est Deum in corpore nostro gestare, & in moribus nostris eius imaginem circumferre.

B Hanc Dei gloriā, qua à nostra sanctitate procedit, ab ipso Domino in oratione Dominica postulamus, cum dicimus. Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Deus namque suam gloriā exerit, cum nos de iniquis iustos, & de peccatoribus facit sanctos, & nomē suū magnū & excelsum, quod in seipso augeri nō potest, in nobis, cum nos magnos facit, magnificat, & cum nos sanctos efficit, etiam sanctificat. Quem sensum spiritualis collatoris hanc primam Dominicæ orationis petitionem interpretantis confirmet auctoritas. Sanctificatio Dei, inquit, nostra perfectio est. Itaque dicentes ei, sanctificetur nomen tuum: aliis verbis hoc dicimus: Tales nos facito pater, vt sanctificationem tuam, vel intelligere quanta sit, vel capere mereamur: vel certè, vt in nostra cōuersatione spiritali sanctus appareas. Quod tunc efficaciter impletur in nobis, quando vident homines opera nostra bona, & glorificant Patrem nostrum, qui in cœlis est. Eundem sensum Hugo quoque Victorinus admittit in hæc verba. Nomen Dei, fratres, sanctum est: sed adhuc in cordibus quorundam potest amplius sanctificari. Potest namque sanctificari in cordibus paganorum: in quibus nondum est sanctificatum propter fidem. Potest sanctificari in cordibus Iudæorum: in quibus non est sanctificatum per fidei sanctificationem. Potest sanctificari in cordibus falsorum Christianorum: in quibus nondum est sanctificatum per dilectionem. Potest etiam amplius sanctificari in cordibus electorum: per maiorem fidei consummationem & maiorem Dei & proximi dilectionem. Quanto enim perfectius Deum diligit, & credit electus: tanto amplius nomen Patris in se sanctificat, & sanctificatum demonstrat. Et meritò hæc est prima orationis à nobis fundendæ petitio, vt tamquam boni filij primo loco non commodum nostrum, sed laudem, & gloriā patris nostri quæramus, & eam gloriā potiore, quam omnis curia cœlestis, & omnes homines, & vniuersa creaturæ illi tota deuotione decantant, ex eo quòd filios iræ, filios misericordiæ facit, & adoptatos in filios quotidie perficit, & quàm simillimos sibi reddit. Hanc quoque gloriā Virgo Beatissima, & sapientissima, cum aliquando in Euangelio longiorem solito sermonem protraxit, velut maximam, primo sui cantici versu signauit, cum dixit: Magnificat anima mea Dominum, & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quomodo enim illa magnificauit Dominum de se magnum, cui dicit Dauid: Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos? Quomodo illa magnificauit Dominū, qui cum sit maximus, nec bonitate, nec pulchritudine, nec aliqua perfectione crescere potest, à quo omnis creata magnitudo, velut riuius à fonte procedit? An solum corde laudādo, quia anima

August. tract. 50. in Ioan. 2. Cor. 1. Cant. 1. Psal. 88.

1. Cor. 6.

Mat. 6.

Cassia. col. 9.

Math. 5. Hugo. lib. 2. allegoriarum.

Mat. c. 2.

Luc. 1.

Psal. 94.



suæ Dei laudationem ascribit, dicens: Magnificat anima mea Dominum? Non, quia ore protulit, quod corde concepit, & internis laudibus, externas quoque vocum laudationes adiunxit? An solo ore, nam & vocibus canticum hoc eloquuta est? Non, quia hæc Dei magnificatio omnium maxima fuit earum, quas valuit pura creatura proferre, ea verò quæ sola voce fit, exilis admodum est, & ieiuna laudatio? An solum corde & ore, nam voce simul & mente suorum bonorum copiam non sibi, sed Domino, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est, sincerissima confessione retulit? Non, quia laudicordis, & oris non modicum deest, si opus etiam non laudet Dominum, & eius magnitudinem actio non efferat, & vita pura & immaculata non exprimat. Quomodo ergo sanctissima Virgo magnificat Dominum? certè magnificabat eum mundis cogitationibus, magnificabat sanctis desideriis, magnificabat perfectis operibus, magnificabat tota serie suæ vitæ mundissimæ. Denique hæc est maxima magnificatio Dei, quam ei creatura potest ascribere, non quod eum magnum faciat, qui naturaliter maximus est, sed quòd eum vitæ puritate, & morum honestate, & virtutis perfectione magnum in se ipsa delineet, & se magnam, & pulchram sanctitate faciendo, Deum, cuius anima imago est, in se ipsa magnum, & pulchrum, & summè bonum ostendat. Magnificatur enim Dominus, inquit, Ambrosius, non quòd Domino aliquid humana voce possit adiungi, sed quia magnificatur in nobis. Imago enim Dei Christus est, & ideo si quid iustum religiosumque fecerit anima, illa imaginem Dei, ad cuius est similitudinem creata, magnificat. Et ideo dum magnificat eam, magnitudinis eius, quadam participatione sublimior fit, ut illam imaginem splendido bonorum colore factorum, & quadam emulatione virtutis in se videatur exprimere.] Magnam ergo gloriam damus Domino, cum eum ore laudamus, cum canticis, & culibus, & ceremoniis ab Ecclesia institutis eum honoramus, cum verbis eius innumeras perfectiones, & stupenda opera predicamus, cum elemosynis, aut misericordiarum operibus in ipsius obsequiū factis, illū confitemur, sed multò maiori gloria, & cultu eū afficimus, cum vitæ sanctitate, & perfectione laudamus, quia tunc in nobismetipsis diuinæ magnitudinis, & pulchritudinis, & sanctitatis figuram effingimus. Voces idioma nostrum callentes agnoscent, cultum eiusdem religionis professores aduerrent, benignitatis opera vilitatem ex eis accipientes intelligent, at laudationem à vita pura & sancta profectā omnes tam Græci quàm barbari, rā sapientes quàm insipientes exaudient. Laudatio vocum veluti characteribus paruis scribitur, & submissis sonis editur, quam oculos perspicaces, & arrectas aures habentes sentient: At laudatio Dei, quæ vitæ sanctitate fit, literis maximis scripta est, & nō voce hominis, sed tonitruo & nubis fragore prolata, quam vel ipsi cæci legent, & surdi audient, & omni penè sensu destituti percipiēt. Et sanctis tacentibus, nihilque loquentibus conturbati sunt omnes qui videbāt eos (vt est in psalms) & timuit omnis homo.] Quia vita, quæ efficacior & validior vox est, annunciarunt opera Dei, & hac voce vniuersi perculsi, facta eius intellexerunt.

Amb. lib.
2. in Luc.
ad c. 1.

Psal. 63.

Profecto vir sanctus atque perfectus imago Dei est, & ab ipso Deo quasi incredibili cura diligentique depicta, quæ mirum in modum alias Dei communes imagines, id est, communes iustos magnitudine pretij, & præstaria decoris excedit. Hæc ergo imago sanctitatis diuinæ, qua anima reformatur, & decoratur, necesse est maiorem honorem & gloriam, quàm alij communes iusti suo factori apud omnes importet.

Nam sicut pictor maiorem sibi gloriam parat ex vna pulcherrima effigie, quam summa industria elaborauit, quàm ex multis imaginibus imperfectis, quas veluti ludendo aut somniando depinxit: ita vniuersorum Creator Deus cumulatiorem gloriam, & laudem ex vno Francisco, aut Dominico, quàm ex multis iustis tepidis, & imperfectis decerpit. In istis enim imago Dei in vera virtute constituta, & ab ipso Deo delineata, licet non effictoris culpa, obscura est, & mille imperfectionum lituris scædata; quare parum sapientiam artificis prædicat: in viro perfecto imago, aut similitudo Dei est valde pulchra, atque perfecta, & tanto splendore circumdata, ut aspicientes in maximam admirationem rapiat, & ad eximias laudes artificis referendas alliciat. Omnes qui in hanc imaginem oculos mentis intendunt, stupentes fatentur de illa, quòd de Sole in Ecclesiastico scriptum est: Vas admirabile, opus excelsum.] Vas admirabile, quia angelis, & hominibus admirationi est, & opus excelsum, quia abscondita, & pannis vilibus involuta, vel etiam perfectionum aut aegritudinum tūsonibus impedita, Dei celsitudinem prædicat, & eius præconia, & laudes annunciat. Ideoque vita perfecta apposite Luciferi comparatur, qui & inter astra propinquior est Soli, & ab illo maiorem claritatem & pulchritudinem mutuans, euidentiùs primi luminaris fulgorem demonstrat, sic profusus vita hominis perfectione & sanctitate polita, propius Deo adhæret, & melius eius gloriam & maiestatem ostendit. Quod simile non prætermisit Gregorius, dicens: Rectè Luciferi iusti vita comparatur. Solem quippe præcurrens Lucifer nuntiat. Et quid nobis sanctorum innocentia, nisi sequentis iudicis claritatem clamat? In eorum namque admiratione cōspicimus, quid de maiestate veri luminis affinemus. Necdum Redemptoris nostri potentiam videmus, sed tamen virtutem illius in electorum suorum moribus admiramur. Quia igitur bonorum vita in consideratione sua oculis nostris vim veritatis obicit, clatus ad nos Lucifer ante solem venit.] Pater iam, quanta sit perfectionis dignitas, quæ ut Lucifer Solem creatum, ita ipsa solem increatum præcurrit, & eum à quo omnia facta sunt, vniuersis non loquendo, sed operando manifestat, & ipsius decorem & gloriam non lingua balbutiente, sed gestis, & imitatione colaudat. Quòd si magnum fuit Ioanni Baptista, quòd filium Dei hominem factum, digito & voce monstrauit, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.] maius fuit illi, & maius est cuique viro perfecto, si eundem Dominum innocentia vitæ peccati destructorem, & sanctitatis datorem demonstrat. Quia illud ministerij fuit, istud virtutis; illud prædicare, aut prophetare, istud rectè viuere: semper autem virtus, & vita recta, fuit ministerio & prædicationi prælata.

Hæc ergo vita cum ad sanctitatem peruenerit, supra omnia alia Deum magnum prædicat, & mirabilem esse declarat. Quod non tacuit sanctus David, fructum ascensionis Christi decantans. Mirabilis, inquit, Deus in sanctis suis, Deus Israel: ipse dabit virtutem, & fortitudinem plebi suæ.] Deus enim in creatione mundi potentiam, in eius rectione, sapientiam, in rerum conseruatione, bonitatem, at in sanctis, gloriam, & magnificentiam suam nobis facit esse conspicuam: propter quam illum admirabilem confitemur, qui plebem suam, id est, sanctorum congregationem de se infirmam præstantissimis donis roborat, & aduersus demones, sanctitatem eneruare conantes, constantia virtute fortificat. Quis enim neget Deum in sanctis ac perfectis viris apparere mirabile, cum legat apud Moysen, Quis similitudini in

Ecc. 43.

Greg. 10
mor. c. 11.

Ioan. 1.

Psal. 63.

Exod. 15.

fortibus

fortibus Domine, quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia. Verè in omnibus magnificus, sed magnificus in sanctitate, quia hoc opus copiosiores sumptus, & expensas maiores poposcit. Verè in omnibus terribilis, sed terribilis in sanctitate, quia sanctorum vita magnum infirmis timorem incurit, & ad diligentiorum Dei cultum, & reuerentiam instigat. Verè in omnibus laudabilis, sed laudabilis in sanctitate, quia vita perfecta non solum Detum propter omnia opera sua, sincerissime laudat, sed & omnes eam considerantes ad sempiternas laudes auctori sanctitatis tribuendas inuitat. Cuius rei testem luculentissimum habemus Chrysostrum, qui hac de causa diuinam glorificationem, à sanctitate prodeuntem, omnibus aliis Dei laudibus, & glorificationibus anteponeit in hæc verba: Nihilominus iustum fuerit pro viribus gratiarum actionem offerre, & indefinenter glorificare Dominum nostrum, & per benedictionem crebram, & per vitam optimam. Ista enim est clarissima Dei magnificatio, quando per innumeras linguas glorificationem offerimus. Nam qui virtute præditus est, facit vt omnes qui intuentur eum, Dominum suum laudent: & glorificatio hæc ei, qui occasionem præbuit, magnam & ineffabilem Dei misericordiam conciliat. Quod igitur nobis beatius foret, si glorificaremus, non solum nostris linguis bonum Deum, sed & proximos quoque, vt nostro nomine eum glorificent, incitemus. Tantum enim virtutis robur est, vt innumeris linguis conditorem laudare queat. Dilectæ nihil vtiq; vitæ virtutis studio coparari potest. Vnde & Christus dicebat, Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant vestra bona opera, & glorificent patrem vestrum, qui est in cælis. Vidisti quomodo lumen, cum apparuerit, dispellit tenebras: ita & virtus: si conspicua fuerit, & malitiam effugat, & erroris tenebras abigit, mentemque videntium excitat ad Deum glorificandum. Deus itaq; non solum magnificus, & terribilis in sanctitate, sed & laudabilis in sanctitate, quia hæc est, quæ Deum ore omnium hominum laudat, & propter quam (scilicet vt illi seruiant) omnes aliæ creaturæ factæ sunt, quæ Deum tamquam pedisequæ sanctitatis glorificant.

Tu, ô religiose, qui ad hoc à Domino benigne vocatus es, & ad vitam religiosam adductus, vt ei sacrificium huius glorificationis offeras, ne repide & officiantur viuendo, à Creatore tuo hanc gloriam tibi sibi charam, & tam sibi debitam, subtrahas. Tu, cuius ministerium est perpetuis laudibus Deum glorificare, ne laudes decurtes, ne quod pretiosius est diuinam laudem fueris, dum Deum ore laudas, & vita non laudas, quia Dominus integrum animal in sacrificium requirit, & (vt est in Isaiâ) diligit iudicium, & odio habet rapinam in holocausto. Ne impossibilitatē causeris, quia gratia præsto est, & si eam concupiueris, & adiutricem vocaueris, assidentem illâ fortibus tuis inuenies. Nec dicas in corde tuo parum, & nullius momenti est quod abripio, nullius æstimationis est apud Dominum, si eum puritas meæ vitæ glorificat. Ne, inquam, hoc dicas, quia nulla illi glorificatio, nulla illi laudatio pretiosior, quàm illa, quæ moribus, & vita viri perfecti cõfertur. Ad hanc omnes per os Dauidis inuitat; Nam qui timetis Dominum, ait laudate eum, vniuersum semen Iacob glorificate eum. Hæc de cælo prospiciens, an sibi tribuatur, attente considerat. Dominus enim de cælo prospexit super filios hominum, vt videat si est intelligens, aut requirens Deum, vt videat scilicet, si est aliquis, qui operibus & diuinæ legis custodia, eius gloriam & honorem requirit. Hæc delapsus ad terras ab vniuersis hominibus in sponsam

A dilectam exquirat. Vnde in eius ingressu omnes hanc vocem auribus cordis excipiunt: Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum] opera videlicet, quibus arietes & duces gregis & Apostolos imitemini. Et per hæc opera afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius, adorate Dominum in atrio sancto eius. Hanc gloriam à perfecta iustorum vita manantem, velut materiã ingentis lætitiæ complectitur. Quia si hominibus lætum est, & gloriosum, inquit Cyprianus, filios habere consimiles, & tunc magis generasse delectat, si ad patrem lineamentis paribus soboles successiuâ respondeant: quantò maior in Deo patre læticia est, cum quis spiritualiter nascitur, vt actibus eius, & laudibus diuina generositas prædicetur? Hanc denique sibi subtrahi molestè fert, & admittes acerrima increpatione percutit, dicens: Filius honorat patrem, & seruus dominum: si ergo pater ego sum, vbi est honor meus, & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Haud quaquã frater in animum tuum inducas, vt rem tã dilectam, tam pretiosam, tam desideratam à tuo Domino, & Creatore subtrahas, ne dicat tibi, vt annotauit Cyprianus, illud quod dixit impiis Iudæis; Filiu nutriui, & exaltavi, ipse autè spreuit me. Dominus te adoptauit in filium, te gratiæ lacte nutriuit, te in statum filio suo dignu mirabiliter exaltauit, ne illu irideas, quia in die extremo irideberis; ne illum contemnas, quia in hora mortis contemneris, sed magis ore lauda, corde honora, vitæ sanctitate magnifica, vt iustitiæ palmam, vt laborum tuorum coronam accipias, vt sis ex felicissimis illis, qui sunt audituri: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis ab origine mundi paratum est.]

Quod perfectio animam ab omni morbo sanat.

CAPVT XIV.

Diximus perfectionem opus esse Dei, eoque Deum glorificari, nondum tamè expressimus, quanta sit hæc gloria, quam Dominus ex nostra perfectione decerpit, vnde operæ pretium est, vt hoc (prout ruditati nostræ possibile fuerit) ad instructionem legentium exprimamus. Cogitanti verò mihi quo pacto magnitudinem huius gloriæ declararem, quatuor Dei elogia memoriæ succurrerunt, quæ meæ ignorantia ad hanc rem vtiq; explicandam subuenient. Dominus enim in scripturis sanctis vocatur medicus. Nam, Benedic anima mea Dominum, inquit Dauid, qui sanat omnes infirmitates tuas. Et filius Dei, cuius sicut vna est substantia cum Patre, ita vna est virtus, & vna potestas, sibi medici nomen arrogat, dicens: Non egent, qui sani sunt, medico, sed qui malè habet. Non veni vocare iustos, sed peccatores ad penitentiam. Vocatur rex, Quia tu es ipse rex meus, inquit, & Deus, qui mandas salutes Iacob. Et, quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnes Deos. Quia in manu eius sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipsius sunt. Vocatur diues: Meæ sunt, ait ipse, omnes fere siluarum, iumenta in montibus, & boues, cognoui omnia volatilia celi, & pulchritudo agri mecu est. Et Paulus; Idè Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocâr illu. Deniq; vocatur sponsus: de Ecclesia quippe scriptum est, quia vocauit Dominum virum suum, & alio loco, quoniam ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo. Maxima autè gloria medici est, si ægrotum desperatū, & deploratum sanat, & è faucibus mortis ereptum pristina

Chry. bñ. 26. in Ge.

Mat. 5.

Isa. 61.

Sap. 6.

Psal. 21.

Psal. 23.

Psal. 28.

Cyp. ser. de zeloz. li. 1.

Malac. 1.

Isa. 1.

Mat. 25.

Psal. 102.

Luce. 9.

Psal. 43.

Psal. 94.

Psal. 49.

Rom. 10.

Osee 1.

Psal. 18.

sanitati restituat. Maxima gloria regis est, si vilissimos homunciones, non solum nobiles, sed etiam magnates faciat, & in regia dignitatem exalter. Maxima gloria diuitis est, si ita in pauperculos diuitias & opes dissipet, ut sine vilo sua substantia detrimento, eos pecuniosissimos ac ditissimos efficiat. Maxima gloria spoli est, si sponfam, & illam arrogantem, & virorum contemptricem, ad eum sibi subdat, & in suum amore, & desideriu trahat, ut in eo solo omnes suas delicias & vniuersa desideria constituat. Has igitur omnes glorias & laudes Dominus ex animarum perfectione consequitur, ut sic constet perfectionem vitam inter omnia creata factori suo pretiosissimum vestigial gloria, & laudationis exoluere.

Nunc inuestigemus primum, quam scilicet mirabilem sanitatem Deus, animarum, perfectionis ministerio, restituat. Statim autem sese oculis mentis offeret status ille quietus, & felix, in quo Creator omnium genus humanum condiderat. Fecit enim Dominus hominem rectum,] ut est in Ecclesiastico, & eum in ipso creationis momento gratia circumdedit, & iustitia originali vestiuit. Gratia afficiebat animam, & illam Deiformem, reddebat, & omnibus creaturis sensibilibus Dominam charissimam, Angelis fororem amabilissimam, & Deo filiam acceptissimam constitutebat: Originalis iustitia (quam omnium donorum Spiritus Sancti, & virtutum insularum a gratia manantium cumulum esse putamus) vires animarum tam pure spirituales, ut memoriam, intelligentiam, & voluntatem, quam corporeas coniuncto inhaerentes, ut sensus, & appetitus, optimè moderabatur, & puras, atque pacatas faciebat, & minimis quoque defectibus liberabat. Eratque tunc homo memoria tranquillissimus, intellectu perspicacissimus, voluntate rectissimus, sensibus obedientissimus, appetitu subiectissimus, in quo corpus animarum iustum sine vlla contradictione sequebatur, sensus & appetitus rationi parebant, & ratio Diuini numinis ducebatur imperio. Quam hominis perfectam sanitatem scriptura non siluit. Nam eum ad imaginem, & similitudinem Dei conditum astruit,] quorum primum, scilicet, imaginem, ad naturam integram, rationis compotem, arbitrio liberam, & omnium rerum corporalium reginam; secundum verò, nempe similitudinem, ad perfectam gratiam virtutum, & donorum fontem, & diuinam sanctitatis imitatricem, Origenes, Basilius, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Rupertus, Damascenus, & alij referunt. Et alio loco ait: Hæc, nimirum sapientia, illum, qui primus formatus est a Deo, pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuit, charismatibus intellige, & donis suis: & postquam lapsus est, eduxit eum a dilecto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia,] id est, potestatem omnibus visibilibus dominandi. Et rursus: Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum. Et iterum conuertit illum in ipsam, & secundum se, ut scilicet decebat ipsum Deum, vestiuit virtute. Quid autem esse potest, a Deo, ut ipsam decebat, hominem vestitum esse virtute, nisi diuinam misericordiam, ac largitatem perfectissimis virtutum donis hominem decorasse? Quæ autem sunt hæc dona, nisi ea præclarissima nomine vnus originalis iustitiæ contenta: quæ Prosper Regiensis Episcopus hæc elegatissima oratione describit. Nō inquietabat molesta sollicitudo quietum, non fatigabat labor anxius otiosum, non somnus opprimebat inuitum, non amittendæ vitæ timor angebat de immortalitate securum. Habebat facilem victum, corpus ex omni parte sanum, tranquillum motum, cor mundum, ignarus pœnalis mali,

habitor paradisi, expertus peccati capax Dei. Postremò quid eò felicitus fuit, cui erat orbis subiectus, nullus infestus, liber animus, & visibilis Deus? Et reuera æquum est credere, talem hominem, scilicet gratia pulchrum & iustitia originali protectum, fuisse formatum, quoniam in gloriam ordinatus creabatur, & nullum erat impedimentum, quominus in ipso creationis puncto dona supernaturalia reciperet, & de manu Creatoris sui perfectus, & omnino sanus, imò & sanctus prodiret.

Sed heu, homo in honore positus suam felicitatem non intellexit, & ideo honorem perdidit, dignitatem dilapidauit, innocentiam statim amisit. Nam à veteroso serpente deceptus, & in prauaricationem lapsus, innocentiam comutauit in culpam, animam foedissimam maculâ pro decore, & puritate suscepit, & turbam omnium malorum admittens, vniuersa bona gratuita a seipso separari permisit. Ecce Adam, inquit Dominus, veluti humanam stultitiam irridens, quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum. Sciuit bonum, quia sicut cum aliquis perdit oculos, aut manus, eorum vtilitatem & necessitatem aduertit, ita homo terrenus perdendo iustitiam, iustitiarum dignitatem agnouit. Et sciuit malum, quia per peccatū omnium calamitatum, & miseriarum experimentum cepit, & malorum ac ægritudinum animarum copiâ incurrit. Ille tam memoria tranquillus innumeris illuditur vanitatibus, & per ridicula, & noxia discurret, ad eum vt mœres cogatur dicere, quoniam cor meum dereliquit me. Ille tam intellectu perspicax, mille ignorantis & cæcitatibus implicatur, qui tunc bene aliquid sapit, cum dicit, Comparatus sum iumentis insipientibus, & similis factus sum illis. Ille tam voluntate rectus, a Deo discessit, & ad vilissima quæq; incuruatus est: nam de illo & de suis posteris scribitur: opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incuruauit se homo, & humiliatus est vir. Ille sensibus obediens de eorum rebellione cõqueritur, & de nuditate animarum suarum ab ipsis sapè facta tristatur. Oculus meus, inquit, deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbs meæ. Ille appetitu subiectus, ab illo sibi poni laqueos animaduertit, & suos affectus, infidelitatis acculat: quia in via hac, quæ ambulabam, absconderunt laqueum mihi. Ille corpore sanus, & vegetus, maximis ac plurimis ægritudinibus affligitur (nam, vt dixi quidam, morborum mille species) imò & ipse qui paritur, dissimulare neciens, ait, quoniam infirmus sum, sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. Nam corpus animarum imperiū subire detrectat, etsi illa abstinere vult, hoc mādudare; si illa vigilare appetit, istud dormire; si animam laborare, corpus oritari, & socordia consumi, delectat. Nam sensus, & appetitus rationi non parent, sed tamquam serui rebelles aduersus illam insurgunt, & (quod miserabilis est) deceptam, & captiuam pertrahunt. Nam ratio diuinas leges præterit, sui creatoris iussa contemnit: quæ audit; Fregisti iugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti, non seruiam. Quid morror, & hominis morbos enarro: omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vsque ad verticem non est in eo sanitas. Vlnus & liuor, & plaga tumens nō est circumligata, nec curata medicamine, neque fora oleo. Aduerte istorum, morborum tum multitudinem, tum qualitatem, & videbis nihil esse in homine, quod non ægrotet, interitum metuat, & dolorem sentiat. Caput, vt interpretatur Richardus Victorinus, est liberum arbitrium, cor, est consilium, pes, carnale est desiderium. Quid potest esse sanum in eo, cuius liberum arbitriū languet, ratio mœret, & affectus ægrotat? Caput, id est, liberum arbitrium languet, quia sine me, inquit Dominus, nihil potestis

Eccle. 7.
D. Tho. 1.
p. 95. ar.
3.

Gen. 10.

Orige. 3. c.
6. Basil.
hom. 10.
ex am.
Amb. lib.
6. c. 7. &
8.
Nyss. 60.
de creatio
ne homin.
c. 4. & 5.
Ruper. 2.
de operib.
trinit. c. 3.
Dama. 2.
fidei. c. 12.
Sapient. 1. c.
Eccle. 17.

Prosper. lib.
2. de vita
contemp.
c. 18.

Genes. 3.

Psal. 39.

Psal. 48.

Isaia. 2.

Thren. 3.

Psa. 141.

Psa. 6.

Ierem. 2.

Isa. 1.

Richa. de
statu in-
terioris.
hom. c. 1.
& 11.

Ioan. 15.

facere:]

Eccle. 1.

Psal. 37.

Job. 2.

Bern. ser.
2. de as-
sumpt.

Iero. 17.

facere:] & nihil languidius excogitari potest eo, qui sine externo adiutorio nihil omnino, quod ad salutem proficit, facere valet, nec se erigere, aut ad bonum mouere. Cor, id est, consilium, mœret: nam & apposita scientia, apponitur dolor & mœror, cum certum sit, quod in multa sapientia multa sit indignatio, & qui addit scientiam, addit & laborem.] Et quanto quis melius ratione cognoscit malum pœnæ: quo dignus est; tanto vehementius suis prauitatibus indignatur: & quanto perfectius perspicit in malum, quod patitur; tanto acriori stimulo doloris urget. Pes, id est, affectus, cum toto corpore dolet; non enim est sanitas in carne mea, ait, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.] Totus igitur homo languet, & velut quidam Iob percussus est vlcere pessimo à planta pedis vsque ad verticem, & nullum illi remedium manet nisi vt contritionis testa saniem tantorum delictorum radat, & in sterquilino humilitatis sedeat.] At eo desperantius languet, quod nullum omnino remedium siue contritionis, siue humilitatis admittit. Nec enim vulnus peccati appposito medicamine detestationis curat, nec luorem scandali circumspeditione, & verecundia contegit, nec plagam tumentem prauæ consuetudinis, oleo saltem compunctionis illinit. Huius morbum sub nomine tyrannidis (quia non solum generalis infirmitas, sed etiam dira tyrannis est) Bernardus non minus pulchre quam deuotè depingit. Fuit aliquando, ait, cum hoc meum castrum tyrannidi suæ impius ille subiecerat, sibi potestatiue membris imperans vniuersis. Quantum eo nocuerit tempore præfens adhuc indicat desolatio & egestas. Heu nec continentiæ murum in eo, nec patientiæ antemurale reliquit. Exterminauit vineas, messuit segetes, arbores extirpauit: quippe etiam oculus iste meus deprædabatur animam meam. Denique nisi quia Dominus adiuuit me, paulò minus habitasset in inferno anima mea. Dico autem infernum inferiorem, vbi nulla confessio, vnde nemini datur exire. Cæterum etiam tunc nec carcer illi deerat, nec infernus. Ab ipso nempe conuersionis, & perditionis pessima: deprehensa principio, non alibi quam in domo propria, carcerali est mancipata custodia, nec aliis, quam suæ illius familiae data tortoribus. Erat enim illi conscientia carcer, erant tortores ratio & memoria; atque hi quidem crudeles, austeri, & immisericordes: sed longè minus rugientibus illis preparatis ad escam, quibus erat iam iamque tradenda.] Aduerte diligenter à quanta dignitate, ad quantam calamitatem; quanta sanitate, ad quantam infirmitatem; à quanta libertate, ad quantam seruitutem est homo prolapsus, qui in anima gratiæ vita priuatus, in viribus suis miserabilibus morbis percussus, & eisdem tamquam catenis & vinculis compeditus, crudelissimo tyranno demoni seruebat, & infirmus, ac impotens, vt illi obtemperaret, anxius curis, & operibus laboriosis vacabat.

Quam magna gloria erit hunc vincitum expedire, hunc incarcerationum eripere, hunc captiuum liberare? Quam eximia laus debebitur ei, qui hunc agrotum tam deploratum sanauerit, hunc mortuum suscitauerit, & ita vitæ & sanitati restituerit, vt & eius, qui infirmabatur, sit vita perfectior, salus robustior, status constantior, & merces meritorum gloriosior? Hoc, Domine, opus tuum est, ista tibi decreta est laus, ista non alij quam tibi deberur gloria. Non alij quam tibi Creatori meo, dico: Sana me Domine, & sanabor; saluum me fac, & saluus ero, quoniam laus mea tu es.] Tu enim es, qui animam mortuam viuificas, viuificatam sanas, sanatam, in vita & salute cõseruas, & à malo seruatum præordinato tempore in tuâ glo-

ria palatium admittis. Hanc spiritualem salutem ab anima perditam Dominus, perfectionis beneficio restituit, quæ cum gratia, & charitas perfecta sit, perfectis virtutibus exornata, & Spiritus sancti donis & abundantissimis auxiliis fulcita, nihil in anima mortuum, nihil ægrotum, aut vulneratum, nihil liuidum, aut deforme relinquit. Sed ordinem huius curationis, & datæ sanitatis consideremus, quia pulchrum est oculis, & suauè spiritali palato hominis istam mirabilem transformationem videre, & cibum hunc non ira, non vindictæ, sed miserationis, sed amoris, sed pietatis gustare. Respice itaque mortuum, id est, peccatorem, à Deo, qui vita nostra est alienum, peccatis fœtidum, iniquitatibus corruptum & deprauatis moribus contaminatum. Si hic surrecturus est, & ad vitam rediturus accedit ad eum Christus, qui & Deus noster, & medicus est. Accedit, inquam, dum huius defuncti calamitatem respicit, miseriam intuetur, timore concutit, & à tam misero statu liberare disponit. Vt autem hoc mirabile opus ordiat, primo defuncti ad vitam reuocat, eo modo, quo Eliseus (in quo ipsemet Dominus præsignatus est) filium Sunamitidis reuocauit ad vitam. Ascendit, inquit, & incubuit super puerum: posuitque os suum super os eius: & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incurrauit se super eum.] Ita prorsus propheta noster potens in opere & sermone, ascendit super interfectum istum, cum eum humilitate subiicit sibi: incumbit super eum, cum stertibus & gemitibus emollit; & vera peccati detestatione cooperit: ponit os suum super os eius, cum labia ad confessionem peccatorum aperit; & oculos super oculos eius, cum cordi ad cognoscendam peccati fœditatem, & virtutis pulchritudinem, lumen intelligentiæ tribuit: & manus super manus eius, cum manus in opera satisfactionis extendit: & incurrauit se super puerum, cum eius imbecillitati se attemperat, & nec mortui deformitate deterritus, nec fœtore reiectus, nec ingratitude violatus, à cepto desistit. Iam isto suauis, ac benigno contactu anima prius defuncta incipit viuere, & vitæ insignia, id est, virtutis actiones ostendere. Calefacta est, inquit, caro pueri, & oscitauit puer septies, aperuitque oculos.] Calefit anima, cum spiritus seruore concepto fructus dignos penitentiae facit, & errata in Deum admissa operibus penitentiae castigat. Oscitat septies, iuxta Bernardum, cum quinque sensus duplici præcepto charitatis subiicit, & membra, quæ seruebant iniquitati, ad iniquitatem, cogit seruire iustitiæ in sanctificationem, & aperit oculos, cum gressus suos in semitis iustitiæ dirigit, & ne ad vomitum reuertatur, attentè considerat.

Hoc præstantissimo iustificationis beneficio, quo homo detestatione peccati, & gratiæ infusione, ad Dei amicitiam reuertitur, viuus factus est, sed nondum sanus, quia reliquiæ adhuc pristinæ mortis supersunt, id est, vitia prauis actionibus, acquisita quæ ipsum iam per gratiam viuentem, morosum ad bonum faciunt, & in lecto antiquæ vanitatis iacere cogunt, & functiones sanitatis, nempe faciles & suauès virtutum actiones impediunt. Crescat itaque gratia, consuetudine benè sanctæque viuendi, augeatur charitas, perficiatur omnis virtus, vt à primæua infirmitate ad perfectionem prouecta primùm vitia vincat, & liger, deinde domo cordis eiciat, postremò extrinsecus irruentia, aut infirmitate affectuum nostrorum aduersus nos occultè bellantia non solum irridet, sed virtutis augmento seruire compellat. Dominus ergo perfectionis ministerio hominem gratis viuentem sanat, & quodammodo ad statum innocentie

amissum reuocat, dum omnia eius interiora & exteriora componit. Eius cor, antea per distractionem, & caliginem ignorantia micat, omni castitia & anxietate liberat, dum memoriam desiderio cœlestium reprimat; & per noxia aut inania antea vagantem, Dei, aut rerum necessariorum, quo tempore, & loco necessariae sunt, recordatione coeret. Et dum intelligentiam splendore rerum supernarum illuminat, & a rebus terrenis auocata ad cœlestia iugiter contemplanda sustollit. Eius caput antea per imbecillitatem, & boni fastidium languens omni infirmitate, & repugnantia eximit, dum liberum arbitrium gratia auxilijs abundantissimis roborat, gemina charitate, Dei & proximi delinit, & iustitia, ac misericordia componit. Eius pedem cum reliquo corpore morbidum sanat, dum affectum per fortitudinem & temperantiam ab bonum quarendum exsuscitat, & a desiderio voluptatum prohibitarum abducit. Et sic in officina crucis Christi mortificationis vnguento, & gratia medicaminibus, omnis languor pellitur, ut illud Pauli aspiciamus impletum; Quia verus homo noster simul crucifixus est, ut destrueretur corpus peccati, & ultra non seruiamus peccato. Iam vulnus peccati abiit, quia homo peccato non tamquam mancipium seruit, sed tamquam miles iustitiae, & sanctitatis bellum indicit. Iam liuor scandalali fugit, quia iustus se aspicientes, non ad malum prouocat, sed luce bonorum operum ad omne bonum inuitat. Iam plaga tumens discessit, quia inueterata consuetudo mali in boni consuetudinem mutata est, & omnem virtutem, omnem sanctitatis actionem facillimè exercet, qui omne vitium & omnem impuritatem antea quæsierat. Iam in homine perfecto non apparent, nisi cogitationes sanctae, desideria cœlestia, verba fructuosa, labores, & sibi, & proximis, & Ecclesiae proficui. Iam ille qui erat sentina vitiorum, sterquilinum iniquitatum, locus inmunditiarum, factus est schola sanctitatis, hortus amoenitatis, doctrina virtutis. Iam denique homo languidus, & triginta & octo annos habens in infirmitate sua,] quia ad quadragenarium numerum (ut meditari est Augustinus) vniuersa lege sacramentorum, duorum præceptorum charitatis impletione carebat, ad imperium Saluatoris tollit grabatum suum, & ambulat, quia corpus suum, corporisque passiones, & omnia externa sua in iustitiam, & metis puritatem ordinat. Grabatum nostrum corpus est, inquit Bernardus, in quo prius languidi iacebamus seruientes desideriis, & concupiscentiis nostris. Nunc portamus illud, cum spiritui seruire cogimus: & mortuum nostrum portamus, quia corpus mortuum est propter peccatum. Ambulamus tamen, non currimus, quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Ambulemus etiam in domum nostram. In quam domum? in matrem omnium, quia sepulchra eorum domus illorum in æternum. Vel potius in domum nostram, quam habemus ex Deo non manufactam, æternam in caelis.] Sanus quidem, & vegetus factus est homo, qui non corpore tamquam lecto decumbat, sed illud, onus certè importabile, facile tollat, & humeris fortitudinis, & stabilitatis impositum, in domum suam, id est, in domum sibi à Domino præparatam, & bonorum operum pretio mercatam, scilicet in cœlestes mansiones inuehat. Salus ista, quam genus humanum in sanctis ac perfectis suscepit, non solum maior est illa quam in statu innocentiae possederat, sed etiam est robustior atque gloriosior. Maior est, quia cœtus sanctorum in hoc statu præstantiores sanctos habet, & donis

gratiae nobiliores, & Deo coniunctiores, quam innocentiae status haberet. In illo enim pacis & tranquillitatis statu opera quædam egregia, & præclara non essent, quibus status hic noster mirum in modum abundat. In quo nimirum est patientia, & constantia Martyrum; Euangelica paupertas, castitas, & obedientia religiosorum; aspera, seuera, & dura vita Monachorum: rigida, & ultra quam credi posset intoleranda conuersario penitentium. In illo statu non veniret Filius Dei (quod probabilis Thomas, Athanasius, Ambrosius, Augustinus, Nazianzenus, Leonem, & alios patres secutus existimat) carne nostra velatus, & ita mundus illo duce, illo imperatore, illo sole iustitiae, illo copiosissimo rû donorû largitore careret. In illo statu nulla esset mater Dei, atque aded nec talis gratia & sanctitas (quæ profecto eximia est) qualis matri Dei debebatur, vnde & totus orbis mirus pulcher, & diues esset, hac gemma pretiosa, hac regina inclita, hac luna plena, & nullum vniquam defectum sustinente, priuatus. In illo statu non essent Apostoli, Ecclesiae patres, Sanctorû principes, & cœli lumina, qui Christi conuictu, & conuersatione, eximia dignitatis acquisitione, insignium meritorum adeptione, & laborum perpessione, tantam sanctitatem nacti sunt, quam nullus ad hunc conuictum non admittit, ad hanc dignitatem non vocatus accepit. In illo statu non esset acies martyrum, qui larga effusione proprii cruoris incomparabilem pulchritudinem Ecclesiae attulerunt, & sibi ipsi passione mortis (qua nihil est difficilius, nihil amarius) eximium gratiae, & meritorum incrementum comparauerunt. In illo statu nostrorum confessorum corona non esset, qui stigmatibus Christi donati, id est, rigore vite & sustinentia maximorum laborum, diuites non tantum bonis operibus sine difficultate factis lucent, sicut sancti in statu innocentiae luere, sed cilicis & flagris liuidi; inedia & vigiliis squalidi; persecutionibus & opprobriis exercitati respicunt. In illo denique statu non esset flos virginitatis, tentationibus impugnat, & ancipitibus bellis ac contradictionibus impetitus. Licet enim tunc femina, ut Augustinus & Thomas putant absque fractione sigilli virginis conciperent, tamen virorum amplexibus, & generationi, ac filiis procreandis vacarent; quare homines vtriusque sexus pulcherrima & abundantissima merita virtutis carnis non haberent. Ista igitur illustrissima dignitates, & ista cumulatissima merita, sanctis nostris per Christum data, illi statui innocentiae deficerent. Quare huius temporis gratia, & sanctitas maior, & cumulatior est, multique sancti nostri omnes sanctos, qui tunc haberentur, excedunt. Et ideo culpa primi parentis felix dicenda est, non solum, ut inquit Gregorius, quia talem meruit habere Redemptorem, sed etiam quia Redemptor noster ita naturae humanae fracturam solidauit, ut eam pulchriorem redderet, ita diuitias perditas recuperauit, ut copiosiores & maiores efficeret. Vnde verum est dictum Pauli; ubi abundauit delictum, superabundauit & gratia,] superabundauit, inquam, gratia supra delictum, quia illud conspiciunt, & dono Dei adueniente omnino delent: & superabundauit supra gratiam præcedentem, quia hæc per Christum data, & tantis meritorum fluminibus augmentata, gratiam illam tam quietam & pacificam inuadit.

Salus quoque sanctorum post naturam lapsam robustior est, quod vel ex euentu ipso dignoscitur. Eva enim mater nostra prima demonis suasionè decepta est, primo vulneris icu prostrata, primo

Rom. 6.

Ioann. 5.

August. tract. 17. in Ioann.

Bern. ser. in feria 4. hebdomadae post pascha.

D. Tho. 3. p. 9. c. 1. Athanas. serm. 3. contra Arian. Amb. lib. de Incarnat. Dominica Sacram. c. 9. Aug. lib. 1. de peccato. merit. & remis. c. Nazian. orat. 4. de Theolog. Lec. ser. 3. Pentecost.

Aug. 14. de ciuit. c. 26. D. Tho. 1. p. 9. c. 8. a. 2. ad 4.

Rom. 5.

laqueo

Genes. 3. laqueo, & illo non admodum occulto deuicta. Nequaquam, dixit aduersarius, morte moriemini.] Quis in his verbis statim dolus non videat? Dixerat Dominus, in quocumque die comederis ex eo, morte morieris:] & dicit Diabolus, nequaquam morte moriemini; cuius credendum erat? an Diabolo, qui mendax est, & pater eius? an Deo, qui verax est, & origo veritatis? Nequaquam morte moriemini.] Verbum igitur Dei falsum erit, & verbum tuum, o Diabole erit verum? comminatio Dei, & poena transgressoribus irrogata, irrita erit & nulla, mendacium autem tuum stabit? Sicut enim Deus, ais, quod in quocumque die comederis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dij.] Ergo inobedientia & diuini mandati transgressio, quae Angelos in daemones conuertit, & te ex pulcherrimo atque sanctissimo determinum, & iniquissimum effecit, Deos facit? Ergo Deus tam infirmus, & imbecillus est, ut ipso reluctantem possit creatura vilissima, ab eo per peccatum fugiendo, se Deo vnire, Deitatis coronam surripere, & in thronum Deo praeparatum ascendere? Ista tuasio, o Diabole, dolus est, tendicula est, mendacium est, quod vel stultissimi intelligent, & a morte sub praetextu diuinitatis oblata effugient. Ac mater nostra Eua, aut non intellexit, aut se intelligere dissimulauit, ut suo appetitui satisficeret, & pomi vetiti gustum, & saporem acciperet. At Adam pater noster, nihilo fortior factus vno coniugis verbulo, vna mulierculae lacrymacula victus est, dedique viro suo pomum, qui comedit, & aperti sunt oculi amborum.] Siccine diuinum mandatum a primo humani generis parente, custodiendum fuit? Itane lex facilis, ad postulandam obedientiam data, fuit a rationabili creatura seruanda? An ille, qui, ut inquit Paulus, seductus non est,] debuit, ut mulieris voluntati satisfaceret, Dei voluntati contraire, seipsum pessundare, omnes nos perdere, & orbem vniuersum turbare? Quae dedit, ait, viro suo & comedit.] Ut indicet, quod qua facilitate comedit pomum, deglutiuit peccatum, gustauit mortem, & gratiae ac iustitiae dona sibi concessa vastauit. Ista fuit duorum illorum hominum perfectorum fidelitas erga Deum; quos status innocentiae tulit. Nam & illi non tantum gratiosi creati sunt, verum in gratia quoque, & charitate perfecti. At sancti post lapsum Adae a Christo liberati non ita facile daemones se subdiderunt, & eius cantum Sirenis ausculturant. Multis eorum parum visum est, se a vitio ligno subtrahere, id est, a rebus prohibitis affectum subducere, nisi etiam non prohibita fugerent, quae possent aut mentem a diuinis auellere, aut velocem in Deum cursum retardare. Ideoque diuitias contempserunt, delicias intriserunt, honores, & dignitates repudiarunt, & omnium rerum creaturarum nuditatem sectati sunt, ne quae res eorum affectum ad caelum euolantem detineret, aut purissimam mentem aliqua cura negotij secularis inficeret. Multi non vnus arboris pomus, sed magnis voluptatibus illecti, aut superbis opibus, & saeculi splendoribus inuitati, eos constanter reiecerunt, aliquando ne diuinam amicitiam perderent, nonnumquam vero (quod maius est) ne sine diuinae gratiae iactura, saltem interiorem quietem perderent, aut iam adeptam puritatem amitterent. Multi apud reges & principes mundi grauius offenderunt, & ab omnibus amicis & inimicis contemni & irrideri, & spoliari passi sunt, ne vel in minimo veritatem desererent, aut in vitium adulationis & leuitatis incurrerent. Multi flagella, colaphos, infamiam, aculeos, cruces, & vniuersa tormentorum genera, & ipsam mortem, & illam acerbissimam sustinuerunt, ne fides & innocentia sibi surri-

A pereretur, & ne sanctissimarum Dei legum transgressores existerent, aut patria caelestis inuenirentur ex tortes. Hi ergo, (in quorum caetu non solum viros fortes, sed infirmas mulieres, & tenerimas virgunculas, & pusillos infantes aspicio) qui ita fortiter aduersus daemones dimicarunt, & eius caput fregerunt, & suis insidijs insulauerunt, & tanta fidelitate atque constantia Dei amicitiam tutati sunt; robustiorem, & stabiliorem salutem animae se habere praetendunt, his, qui leuissima tentatione suborta ab illo felici statu deciderunt, & seipsos atque nos omnes in peccatum & mortem praecipitant. Et sicut illi, qui in laboribus & assiduis corporis sudoribus sunt, educati robustiores sunt, quam ij, qui in delicijs & otiositate nutriuntur; ita perfecti viri tentationibus & insulsiibus assueti (iuxta necessitatem suam) fortiori gratiam, & (vt ita dicam) salubriorem accipiunt, quam homines in statu innocentiae obtinerent, qui aut nullas aut paucas tentationes, & illas non ab ipsa natura corrupta, & ad malum prona, sed ab extrinseco exortas sustinerent: quas facillime aduerterent, & cum abundantissima gratia illi statui tributa superarent.

B Ac tandem salus nostrorum sanctorum est multo felicior, atque gloriosior, quia non tantum dono data, sicut illa primorum parentum, sed bello & armis accepta, & proprijs laboribus acquisita. Si enim gloriosius est, diuitias, & nobilitatem industria propria, & armis parare, quam donatione regum accipere, & si felicius est opes a parentibus perditas recuperare, & augere, quam ab ipsis partas imprudenter prodigere: illustrius etiam erit, gratiam, & iustitiam ab homine lapsa labore sanctorum actionum, quibus gratia cooperatur, & Dei vocationi respondet, reparari, beatus innocentiam a primis parentibus amissam filios Deo fideles sanctitate operum obtinere. Et illi quidem patris nostri perfectionem dono datam; & sine meritis acceperunt, acceptamque post paucas horas miserabiliter consumperunt, at sancti, & perfecti viri illorum natura filij, sed gratia filij Dei, non donatione sola, sed sanctissima vitae meritis habuerunt, & ab illis consumptam non sine magno incremento repararunt. Quod si isti in hoc statu captiuitatis constituti, nonnumquam cadunt, aut maculas leuium peccatorum contrahunt, hi casus, aut haec macula eorum gloriam nequaquam minuunt, quia gloriosius est in incipiti bello, licet non sine suscepto vulnere, victoriam allequi, & ingentes diuitias de manibus hostium rapere, quam in tranquillissima pace partas sine labore opes manibus depradatorum offerre. Haec est ergo maxima gloria Dei, quod per Christum filium suum, hominem mortuum suscitauit, inimicum reconciliauit, iacentem erexit, & mille vulneribus saucium, perfectae sanitati restituit. Haec est incomprehensibilis laus Creatoris, & Saluatoris nostri, quod homines inimicos in suam arctissimam amicitiam euehit, iniquitatibus saeculatos non vitiumque mundat, sed purissimos reddit, & plane terrenos immissa perfectione virtutis caelestes constituit. Hoc est demum illius trisimum crucis Christi trophaeum, quod peccatores sanguine ex suo latere manante purgavit, suis ignominijs nobilitauit, & sua nuditate sanctitatis stola vestiuit. Hanc gloriam, quam Dominus ex sanctorum vita reportat, ex tua vita, o religiose, qui haec legis, etiam accipiet, si sanctitatis via ingrediaris, si teipsum vincas, si mundana deferas, si virtutes quaras, si vitia derelinquas, & si Deo intellecto & affectu cohaereas. Quare enitendum tibi est a somno tepiditatis surgere, a feretro foecundiae, in quo mortuus iaces, Deo vocante, & iuuante, teipsum

erigere,

erigere, ut omnes qui hoc mirabile opus aspexerint, timor accipiat, ita ut dicant; Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Dominus visitauit plebem suam.

Quod perfectio animam in verissimam dignitatem extollit.

CAPVT XV.

Magna prorsus est hæc gloria medici nostri, quod ægrum iam desperatum, perfectione sanauerit, sed non minor est gloria Regis nostri, quod hominem abiectissimum, & filium iræ, atque gehennæ, perfectione in altissimam dignitatem euexit. Quæ enim maior animæ dignitas esse potest, quam quod sit amica Dei; quod sit filia Dei; quod sit sponsa Dei: hac verò anima sanctitate pura, & virtute perfecta cumulatissime iustos imperfectos excellit. Sed relinquamus dignitatem istam, quam supra tetigimus, & aliam præstantissimam exprimamus. Hæc autem est, quod anima viri perfecti, est magnificentissima habitatio Dei, quam Dominus non molestis peccatorum impetibus, sed odoriferis floribus sanctorum desideriorum, & suauissimis fructibus bonorum operum sepius inhabitat. Longè sint nunc à nostra memoria iniquorum animæ, quæ porcorum sunt cœnum, id est, demonum domicilium, in quibus tamquam in sordissimo luto voluntantur, & solum animarum imperfectarum ac perfectarum discrimen consideremus, ut horum dignitas nos in magnam admirationem, & ex ea in ardens desiderium perfectionis adducat. Animas tepidorum, & terrenis affectibus seruentium hospitia esse summi Dei negare nõ possumus, modo illa gratiam diuinam habeant, & graui aliquo peccato non sordeant. At qualia hospitia? certe alia, quæ & ipsis imperfectis non minimam ignominiam afferant, & benignissimo Deo in illis commoranti grauissimam molestiam ingerant. Si tu regi potentissimo angustam cellam in hospitium tribuisses, portis, & feris priuatam, sordibus fœdatam, sedilibus, & mensa, & lecto, & omnibus aliis necessariis vacuam, nõne tibi esset ignominiosa ista hospitalitas, & regi molesta? Sed hoc facis, cum in mente imperfectionum, & turbationum, & curarum secularium plena Deum tuum habitare compellis. Ista enim tua mens, quia circumspeditionem non habet, qua amorem rerum mundanarum fugiat, portis & feris caret; quia peccatis leuibus, numquam gemitibus & mœrore dilutis, satis referta est, stercore, & puluere sordet: quia virtutum decore vacua est, sede, & mensa, & lecto, & aliis ad commodam habitationem necessariis eger. Non mirum si summus Rex indignatus eam deserat, & te aliquo graui peccato subiacere permittat, & tuam cæcitatem & stoliditatem exhorreat. Qui Regem cœlestem, cui cœlum sedes est, quem cœli cœlorum capere non possunt, tam irreuerenter excipis, tam indignè tractas, & in tam vilissimo, & fœdissimo hospicio principem gloriæ ob tuam negligentiam commanere non erubescis: an nescis, quid faciat Dominus, cum in tali anima tepida, & incuriosa sibi hospitium præparatur? Vocat Angelos suos, vocat ministros suos, id est, prælatos, & iubet illis per os Ieremiæ: *Vlulare super terram animam: tollite resinam ad dolorem eius, si forte sanetur.* Quod si medicinam aueretur, & morum emendationem subire detrectet, ait, Curauimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam, &

Lnc. 7.

Ierem. 51.

Ibidem.

A eam vnusquisque in viam suam, quoniam peruenit vsque ad cœlos iudicium damnationis eius, & eleuati est vsque ad nubes. Vide nõ solum quàm ignominiosum, sed etiã quàm periculosũ sit Deũ in hospitio animæ segnis & vecordis excipere, siquidem eã Dominus tantis imperfectiõibus indignatus, relinquit, & ex paruis ad maiora & gratia prolaberem, iudicio, quod perueniat vsq; ad cœlos, id est, grauissima damnatione, castigat.

B At anima viri perfecti habitatio Dei est, tam pulchra, tam magnifica, tam sibi grata & accepta, ut eam domum, & sedem, & requiem, & planè cœlum pulcherrimis astris decoratum appellet. Domus Dei est, vel (ut modestiùs de habitaculo supernæ maiestatis loquamur) cœnaculum paruum, per quod Dominus non cursim, & velociter transit, sed in eo perseveranter & libenter requiescit. An non mulier illa magna Sunamitis dixit viro suo, ut Elisai præsentia frueretur: *Faciamus ei cœnaculum paruum, & ponamus in eo lectum, & mensam, & sellam & candelabrum, ut cum venerit ad nos, maneat ibi?* Neque est suo desiderio frustrata; quia veniens Propheta in cœnaculo sibi parato requieuit. Idem ergo nobis faciendum est, & perfectionis acquisitione facimus, quia scilicet Domino in cordibus nostris habitaculum, in quo requiescat, præparamus. Cor namque viri perfecti cœnaculum Dei est, humilitate paruum, mortificatione quietum, castitate, & rerum contemptione mundum. Nec cœnaculum vacuum est, sed rebus necessariis optimè ad habitationem instructum.

C Inuenitur enim in eo pacis lectulus, contritionis mensa, iudicij sella, & cognitionis propriæ candelabrum. Pax lectus est, quia in pace factus est locus eius: locus, inquam, vbi tamquam in lectulo requiescit, & suauiter dormit. Contritio mensa est, nam ad illius mensam recumbebat Dominus, qui dicebat: *Cineream tamquam panem manducabam, & potum meũ cum fletu miscebam.* Hunc panem licet insuauem non despicit Dominus, imò libenter manducat. Cor enim contritum & humiliatum, inquit, Deus non despiciet. Iudicium sedes est: quoniam iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Et sedem Domino parat, in qua sententiam nostræ absolutionis pronunciet, qui sua errata diligenter examinat, & debita fœueritate castigat. Sui cognitio candelabrum est,

D non vacuum, sed lucerna clarissima decoratum, nam omnis cognitio est lux, quæ mentem nostram illuminat, & ignorantia tenebras telegat. Cum his omnibus donis anima sancta polleat, non est ambigendum, quin cœnaculum Dei sit, in quo verus Eliseus Saluator noster Iesus iugiter maneat, donec in præmium hospitalitatis sedula viri perfectum in æternas mansiones excipiat. Quare Paulus, discrimen inter Mosem & Christum constituens, quod ille sit Dei seruus, hic filius, ait, Christus verò tamquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos: si fiduciam, & gloriam spei vsque ad finem firmam retineamus. Hanc domum ipse Christus in cordibus iustorum extruit præstantiori ratione, quàm reges terræ sibi palatia aut domos adificant. Quoniam isti non propriis manibus, sed ministerio seruorum aut artificum domos fabricant, & sæpe non tanta maiestate, & stabilitate, quantam vellem, aut imperitia artificis, qui mente concepta actione perficiat, aut defectu materia, quæ tantum decorem suscipiat, aut vitilitate lignorum, & lapidum & cæterorum huiuscemodi, quibus stabilis permanentia repugnat. At Dominus ipse domum perfectionis elaborat, & quia omnipotens est, & nihil inueniri potest, quod illi resistat, eam splendidissimam & tutissimam, quantum vult, in

E

4. Reg. 4.

Psal. 75.

Psal. 101.

Psal. 50.

Psal. 88.

Hebr. 3.

sanctis

Psal. 5.

Matth. 7.

Cant.

Joann. 14.

Apo. 12.

Psal. 131.

Psal. 11.

sanctis viris aedificat. Tanta est huius domus pulchritudo; ut eam attentè considerans, omnibus rebus præferat, & ideo dicat: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.] Tanta stabilitas, ut portæ inferi non prævaleant adversus eam: & licet descendat pluvia, & veniant flumina, & perflent venti, & irruant in domum istam, non cadat, quia fundata est non super arenam instabilitatis humanæ, sed supra petram potestatis diuinæ.]

Quia verò Deus in anima viri perfecti iocundam, & pacatam habitationem habet, ideo vocatur sedes Dei: Nam sedes locum requietionis designat. An non sedes regis, in quo iura decernit, thronus dicitur? Sed animam perfectam Dominus thronum suum vocat. Veni, inquit, electa mea; & ponâ in te thronum meum:] thronum nimirum sanctitatis & perfectæ virtutis, in quo Dominus Rex potens, & gloriosus apparet, in quo desideria iustorum approbat, & impietatem iniquorum condemnat. Sanctorum enim, seu perfectorum desideriorum, & bonorum operum approbatio est, quia Deus sanctos cæteris filiis Ecclesiæ in exemplum proponens, in illis quid approbet, & quid sibi sit gratum ostendit. Et eadem perfectorum vita, est impiorum condemnatio, quia si Deus vitam sanctorum amat, & præmio afficit, conuersationem malorum, sanctæ vitæ contrariam odio habet, atque edemnat. Si à perfecta anima iudicium approbationis iustorum, & damnationis iniquorum prodit, non mirum si thronus Dei & sedes regia existimetur. Ad hanc sedem venit Dominus, ut eam honore ex sua præsentia manante prosequatur, & tamquam sedem regni ab hostibus sibi infestis defendat. Ad eum quippe veniemus, inquit, ad eum scilicet qui verè diligit, & diuina mandata custodit, & mansionem apud eum faciemus.] Quid enim accipit seruus ex mansione regis apud ipsum, nisi honorem, diuitias, & defensionem? Sed hæc eadem iusta anima recipit, ex eo quod Deus ad illam veniat, & in ipsa tamquam in throno sedeat. Accipit honorem: nam vniuersi honorificè tractat sedem, in qua princeps sedet, & requiescit. Accipit diuitias, quia nihil est ditius ea anima, quæ Deum auctorem omnium honorum possidet, & in suo gremio recondit. Accipit defensionem, nam decet regem, suam sedem tueri, & ab omni aduersitate defendere. Hanc sedem Dominus in Ecclesia erigit, & in omni ætate, & in omni loco constituit, nullum enim est sæculum, nullum fidele regnum, in quo Deus aliquos perfectos non suscipit, ut ex ea in minores filios Ecclesiæ misericordiam effundat. Ecce inquit, tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cū eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis, erit eorum Deus.] Tabernaculum Dei cum hominibus, sunt sancti, & perfecti viri qui in mundo habitant, & nondum ad sedes cœlestes translati sunt: Nam in eminentia sanctitatis, tamquam in altiori loco sunt positi, ut in eis Dominus sedens, & inter alios communes homines habitans, istos ad se trahat, & ad suum amorem, & obsequium alliciat. Cùm autem hunc fructum ex ista sessione in sanctis consequatur, quod ex illis quasi ex loco eminentiori innumeros homines sibi adiungit, & ad bonam frugem conuertit, merito eam charissimam habet, ita ut dicat: Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam.] Numquam hunc locum quietis deserit, sed dum sancti in hac mortalitate viuunt, in eis sedere, & habitare incipit, & cùm ad vitam immortalem transierint, tunc persequitur dona sua, & cumulatius complectit, quod autè iam ceperat. In his sedet, & in his gratissimè habitat. Nā, ut est in Psalmo: Tu in sancto habitas laus Israel.] Quid

est in sancto habitas? In illis habitas, inquit Augustinus, quos sanctificasti, & quos facis intelligere, quia ad vtilitatem quosdam non exaudis, & ad damnationem quosdam exaudis. Sancti igitur domus sunt, & habitatio Dei, domus sunt, & habitatio laudis Israël: illius scilicet, qui in sanctis, & iustis suam gloriam manifestat, & se æternis laudibus dignissimum esse commonstrant.

Illud autem amplius ad dignitatem, & excellentiam perfectorum pertinet, quod non sunt quæcumque domus, aut sedes Dei, sed illa quæ ob suam altitudinem, ob suam pulchritudinem, ob suam puritatem, & à rebus terrenis elongationem cœlum meruit appellari. Ipsi namque sunt illi cœli, quos (Doctore Iesu Christo Salvatore nostro) in ipso Dominicæ orationis exordio commemoramus, cùm dicimus: Pater noster, qui es in cœlis.] Sic interpretatur inter alios hunc locum venerabilis Presbyter Beda, dicens: Pater noster qui es in cœlis, id est, in sanctis & iustis, quibus dicitur: Tēplum Dei sanctum est, quod estis vos.] Et Seraphicus ille Pater Frāsciscus Ecclesiæ gloria, cœli sidus pulcherrimum, perfectionis miraculum, qui non ex voluminibus, sed ex Dei reuelatione, & ex ipso experimento puritatis diuinorum notionem hausit, in hunc modum exponit: Qui es in cœlis, in Angelis, in Sanctis illuminans eos ad tuam cognitionem: quia tu es Domine lux inflammans eos ad amorem tuum diuinum: quia tu Domine amor es inhabitans, & implens eos ad beatitudinem: quia tu Domine summum bonum es, & æternū bonum, à quo omnia bona, & sine quo nullum bonum.] Istos cœlos, ut Dominus in illis habitaret, non tantum verbo fecit, & iussione creauit, sed maximis laboribus redemit, & profusione proprii sanguinis, & vitæ consecravit. Quos tamquam infinito pretio redemptos ardentius amat, quàm corporeos cœlos, quorum splendor ad istorum obsequium factus est. Et in his cœlis libentius commoratur, quia sunt non simplices cœli, sed cœli cœlorum, in quibus illustriora dona profundit, & maiora indicia suæ maiestatis & bonitatis ostendit. De quolibet istorum cœlorum, id est, de quolibet anima sancta, & perfecta, inquit Bernardus: nūc iam intueamini eius gloriam, quæ & cœlo se comparat: & illi cœlo, quod tantò est gloriosius quantò diuinius. Nec immeritò usurpat inde similitudinem, vnde originem ducit. Nam si propter corpus, quod de terra habet, tabernaculis Cedar se assimilât, cur non & propter animam, quæ de cœlo est, cœlo a què similem se esse gloriatur, præsertim cùm vita testetur originem, testetur naturæ dignitatem, & patriæ? Vnū Deum adorât, & colit, quomodo Angeli, idque in carne peccati, & fragili corpore, quod non Angeli. Quarit postremò, & sapit quæ apud illos sunt, non quæ super terram. Quod euidentius cœlestis insignis originis, quàm ingenitam, & in regione dissimilitudinis retinere similitudinem, gloriam vitæ cœlibis in terra, & ab exule usurpari, in corpore denique penè bestiali viuere Angelum? Cœlestis sunt ista potentia non terrenæ, & quod verè de cœlo sit anima, quæ hæc potest, apertè indicantia.] Et post multa subiungit. Ego puto omnem animam talem, nō modò cœlestem esse propter originem, sed & cœlum ipsum posse non immeritò appellari propter imitationem. Et tunc liquidò ostendit, quia verè origo ipsius de cœlis est, cùm conuersatio eius in cœlis est. Est ergo cœlum sancta aliqua anima habens solem, intellectum; lunā, fidem, iustitiam, virtutes. Vel certè sol, iustitiæ zelus, aut feruens charitas, & luna, continentia. Quo modo enim claritas, ut aiunt, lunæ non nisi à sole est: sic absque charitate, seu iustitia, continentia

meritum

Aug. ibid. conca. 2.

Matth. 6.

Beda. lib. 1. in Mar. ad c. 6. 1. Cor. 3.

Franc. in exposit. que habetur in 3. Biblioth. sanctæ ad finem.

Bern. ser. 27. in Cant.

dicuntur Inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.] Quibus nullum deficit bonum, sed affatim habent quæcumque desiderant, veri diuites sunt nuncupandi. Diuitiæ, quas mundus suis amatoribus elargitur, falsæ diuitiæ sunt, quia minime animo hominis satisfaciunt, sed cum semper vacuum & queribundum relinquunt. Quis obsecro Salomone ditior? an ille conuersus ad consideranda opera manus suæ, & ad labores, in quibus frustra sudauerat, nihil in eis nisi vanitatem & afflictionem spiritus adinuenit. Quis potuit abundantius, quam Salomon obsequia sibi impensa persolvere? At hic dum magnificentissimè amicitiæ & obsequiis Hiram regis Tyri respondit, & viginti oppida in terra Galilææ in eius ditionem transtulit, nequaquam subiecti regis desiderio satisfacit: in cuius signum quasi per contemptum dictum est illi: Hæcne sunt ciuitates, quas dedisti mihi frater? Et appellauit Hiræ ea oppida terram Chabul, id est, terram displicentem & ad indignationem prouocantem.] At perfectionis diuitiæ ita desideria sanctorum implent, vt nullum vacuum, aut frustratum relinquunt. Nec mirum, quoniam vera iustitia pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari.] Perfecti hac iustitia replenti, ex his quæ sibi superflua sunt, in alios supra omnem illorum spem amplissimas opes effundunt, non quæ displiceant, sicut terra Chabul, sed quæ supra omnes mundi diuitias maximè placeant. In cuius signum ille claudus, qui sedebat ad speciosam portam templi, sperans se aliquè obolum à Petro & Ioanne accepturum, audit: Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, in nomine Iesu Christi Nazareni, surge & ambula.] Quis vniquam regum tam stupendum, & tam pretiosum donum, vel amico familiarissimo tribuit? Quis etiam ditissimus tale donum contempsit, quod pretio totius auri & argenti creati nunquam mercari potuit? Ille pauper, ille pannosus, ille auri, & argenti, & rerum sæculi vacuus, sed sanctitate, & diuinis donis refertus, sine vlla bonorum suorum iactura vno momento plus tribuit, quam principes, quæ reges, quam monarchæ, quam & vniuersa natura potest tribuere. In nomine, inquit, Iesu Nazareni surge & ambula.] Gra-diendi facultatem claudo donat, quia hæc solent esse dona sanctorum, id est, dona ditissimorum, gressus in cælum hominibus verbo & exemplo dare, & impedimèta æternæ salutis auferre. In quo suum magistrum, id est, Christum, imitantur, qui, vt egregiè notauit Ambrosius, pedes suis lauare cõsuevit hospitibus, & quoscũque sua receperit domo, pollutis non patiatür habitare vestigiis, sed maculosos licèt vitæ prioris, in reliquũ tamen dignetur mutare processus.

Hi Christi perfecti imitatores, sunt veri diuites, qui & sibi ingentes diuitias possidēt, & in proximos suos maxima bona conferunt. Sibi possident perfectionem, quæ thesaurus innumerabilium bonorum existens, ait: Accipite disciplinam meam, & non pecuniam, doctrinã magis quam aurum eligit. Melior est enim sapientia cunctis opibus pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari.] Et rursus: Sapientia edificabitur domus, & prudentia roborabitur. In doctrina replebuntur cellaria vniuersa, sublimitate pretiosa, & pulcherrima.] Hac perfectionis doctrina nõ solum intellectu cognita, sed actione ad vitã nostram applicata, virtutibus abundamus, quibus & bonorum operum alimenta dulcissima, & sanctorum habituum indumenta pretiosissima, & aurũ charitatis purissima, & argentũ sapientiæ lucidissima, & gemæ, ac lapides pretiosi donorum cælestium, & iura ad æternã felicitatem, ac possessiones bonorum num-

Eccles. 2.

3. Reg. 9.

Prouer. 3.

Act. 3.

Ambros.

Prou. 3.

Prou. 24.

A quæ periturorum continentur. His tãquam veris diuitiis viri sancti cohonestantur; his aduersus impetus aduersariorum roboratur; his apud omnes nobilissimi, clarissimi que censentur. Egregiè enim dixit Prosper Regiensis Episcopus, vt has perfectionis diuitias explicaret: illæ nobis sunt ambiendæ diuitiæ; quæ nos ornare possunt pariter, & munire, quas nec acquirere possumus inuiti, nec perdere: quæ nos contra hostiles impetus armant, à mundo determinant, Deo comendant, ditant animas nostras, atque nobilitant, nobiscum sunt, intra nos sunt.] Et statim, vt istas opes amplissimas clariùs manifestet, subdit: Diuitiæ nostræ credende sunt pudicitia, quæ nos pudicos: iustitia, quæ iustos: pietas, quæ pios: humilitas, quæ humiles: mansuetudo, quæ mansuetos: innocentia, quæ innocentes: puritas, quæ puros: prudentia, quæ prudentes: temperantia, quæ temperantes: & charitas, quæ nos facit Deo & hominibus charos, virtutum potentes, sæculi contemptores, ac bonorum omnium sectatores.] Postea verò, vt ostendat quænam virtutes nomen diuitiarum mereantur, addit: Hæc sunt non omnium, sed humilium pauperum facultates, patrimonium cordium, diuitiæ incomparabiles morum, quibus nõ abundant nisi illi, qui illis carnalibus ex corde renuntiant.] Charitas ergo perfecta virtutes magnas & perfectas inducens, thesaurus est diuitiarum, ratione quarum Ecclesia diues efficitur. Quod Regius Propheta euidenter expressit, dicens ad Dominum: Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.] Quænam sunt latera? quinam anguli fortissimi domus Dei? nisi viri sancti, & perfecti? In his, inquit, o Domine, Ecclesia est abundans & diues, quæ in malis, & in tepidis non abundans sed sterilis, non diues, sed mendica conspicitur. Vxor tua, ait Augustinus, sicut vinea fertilis, sed in quibus? In lateribus domus tuæ, id est, in his qui adhærent Christo. In aliis, qui non adhærent Christo, sterilis, sed nec illos in vinea computabo.] Nõ computat autem malos in vinea, nõ quia si fideles sint, partes Ecclesiæ non sint, sed quia non sunt partes Ecclesiæ similes, quæ sancta est, & illibata, neque tãquam vites abundans vineæ racemis bonorum operum sunt ipsi circumdati. Huic autem Davidis sensui ab Augustino tradito, reuelatio quædam beata Gertrudis accedit, cui visus est Dominus noster Iesus Christus in parte dextra corporis sui regalibus & pulcherrimis indumentis circumdatus, & in sinistra nudus, atque vlcibus plenus. Quia videlicet (vt huic virgini tunc monstratum est) duæ sunt partes Ecclesiæ, quæ corpus Christi mysticè dicitur: altera, sanctos & perfectos continens, quæ vestium splendore, id est, virtutum, & donorum pulchritudine fulget: altera, imperfectos, peccatoresque complectens, quæ nuditate, & vlcibus, hoc est, spirituali indigentia, & peccatorum squalore tabescit. Est profectò Ecclesia abundans, & diues in sanctis, quia illi diuitiis sanctitatis abundant, propter quas sæculi diuitias fallaces aspernantur. Sicut enim diuites mundi, aurum quidem, & argentum æstimant, puluerè verò, & stercorea pro nihilo dicunt, ita etiam diuites Dei, qui non sunt alij quam perfecta virtute, ac sanctitate pollentes, bona animæ diligunt, & dona cælitus immissa in magno pretio habent, honores autem, & sæculi dignitates, amaras delicias carnis, & cetera similia contempnunt. Ipsi sunt vasa viduæ mutuo à vicinis accepta, quibus primum modicum olei linientis infunditur, quod paulatim crescens, & vasa implens, viduam, & filios eius sustentat, & onera debitorum exoluit. In vidua, quæ absentiam mariti deplorat, & mortem filij lugeat, Ambrosius Ecclesiam intelligit: nam illa de peccatorum morte tristatur, & Christi sponsi præsentiam amabilem, & purissimos amplexus suspirat. Hæc vasa vacua mutuo à

Prosper. lib. 2. de vira contempl. cap. 13.

Psal. 127.

Aug. con. ad eundem Psal.

Gertrud. lib. 3. in sermationibus diuina pietatis c. 75.

4. Reg. 4.

Ambros.

vicinis accipit, cum homines ab infidelitate, aut à peruerfis dogmatibus, aut à face vitiorum extrahit, & in virtutis gremium adducit. Guttam olei iniicit, cum eis noua vitæ initium instillat. At hoc initium dum crescit, dum augetur, dum ad perfectionem veniens, vasa, id est, mentes sanctorum replet, mirum est, quantum valeat, & ad quanta patranda sufficiat. Vidnam, nempe Ecclesiam, reficit, quæ in virtutibus & laboribus sanctorum exultat: filios, nimirum alios fideles, sustentat, quoniam conspectu perfectorum virtus eos ad imitationem prouocat, & debitis satisfacit, quia antiqua peccata ante conuersionem commissa penitus delet. O magna substantia, quæ tot hominibus sufficit, & nec te possidentem, nec alios, qui quoquo modo tibi adherent, vacuos, aut icinuos derelinquis! Verè vbi multa sunt opes, multi qui comedunt eas,] qui tamen numquam illas exhauriunt, & quia perpetuæ sunt, numquam continuo vsu & acceptance consumunt.

Eccles. 5.

Rom. 8.

Eccles. 42.

Greg. 11. Mor. cap. 26.

Iob 29.

Bern. ser. 39. in Cant.

Non tantum hæc perfectionis diuitiæ veræ sunt, quæ diuitiarum sæculi falsitatem, & magna, quæ earundem exilitatem ostendunt, sed etiam (quod excellentissimum est) ex aduersis casibus, vnde diuitiæ mundi iacturam sentient, inde augmentum, & firmitatem accipiunt. Nihil enim miserius aut calamitosius viro perfecto accidere potest, quam si in imperfectione cadat, si in aliquod peccatum impingat, si acceptis à Domino beneficiis minime aliquando vitæ puritate respondeat. Sed hæc calamitas, & spiritalium diuitiarum aduersitas solet eas promouere, & firmiores efficere, dum ille qui aliquantulum lapsus est, feruentius surgit, cautiùs deinceps viuunt, & humilior euadit. Vnde Paulus ait: Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.] Omnia cooperantur in bonum: ergo & ipsi lapsus, atque defectus. Nam licet ipsum labi, & deficere, & à virtute deuiare, nihil natura sit, tamen numero sub omni comprehenditur. Vnde si quicquid accidit sanctis eis cooperatur in bonum, etiam defectus, & lapsus præ humana imbecillitate contracti, si non causa, at occasio sunt amplioris boni. Secundum quem intellectum verum habet illud Salomonis: Melior est iniquitas viri, quam benefaciens mulier.] Vir enim hoc loco vitum perfectum, & mulier hominem tepidum & imperfectum designat, cuius bonitas ideo illius iniquitati supponitur, quoniam perfectus ex modico casu magnam humilitatem capit, & imperfectus ex modico bono opere, non semel in gloriam inanem, ac in superbiam erigitur. Quod & Gregorius annotare non timuit, dicens in moralibus dum hunc eundem locum tractat: Nonnumquam etiam culpa fortium, occasio virtutis fit, & virtus infirmorum occasio peccati. Quis igitur felicior illo, qui ipso lapsu se erigit: quis ditior illo, qui ipsa paupertate & meritorum iactura ditescit? Sanctus Iob inter alia suæ prosperitatis elogia, illud non contemnendum recenset, quod petra fudebat illi riuos olei.] Sed adest hic alia maior viri perfecti prosperitas, quod non saxum, sed peccatum illi per occasionem oleum diuinæ misericordie parat, dum humilitatem, & cordis compunctionem importat. Nec mirum mihi est, quod sancti, & perfecti homines, ex ipso lapsu atque imperfectione proficiant, dum eos cõsidero speciali quadam Angelorum prouidentia circumdatos, qui eos docent in peccatorum stercore cibum compunctionis quærere, imò & gemmâ humilitatis inuestigare. Ad quod vile est illud Bernardi: Noueris huiusmodi animam (loquitur autem de anima perfecta) numquam esse sine Angelorum custodia, qui eam æmulantur Dei

æmulatione, solliciti suo viro seruare, & virginè castam exhibere Christo. Et ne dixeris in corde tuo, vbi sunt: Quis eos vidit? vidit eos Propheta Eliseus, insuper & fecit orando, vt videret etiã Giezi. Tu nõ vides, quia non es Propheta, nec puer Propheta: Vidit Patriarcha Iacob, & ait: Castra Dei sunt hæc.] Vidit & doctor gentium, qui dicebat, nõne administratori; spiritus sunt in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis?] Hi pedagogi hominum tam sapientes, tam sponsa Dei æmulatores, tam de nostra salute & perfectione solliciti, quid non facient, vt ex omnibus proficiamus, & ex ipsa miseria nostra aliquem fructum reportemus? Sciunt agricolæ, applicito arboribus & plantis stercore, facere, vt fructum ferant, & nobis ex sua fecunditate, suauissima alimenta promittant: & ignorabunt Angeli, quomodo ex sanctorum defectibus, animabus ipsorum aliquem sanctitatis profectum adiciant? Non sanè ignorant, sed optimè norunt, quo pacto sibi in custodiam commendatos, ex sinistra euentibus, atque ex ipsis casibus ad maiorem circumspectionem, & sollicitiorem curam perfectionis impellant. Quæ ergo maiores diuitiæ excogitari possunt, quam illæ, quarum talis est natura, vt immiunitione crescant, & vnde aduersarius noster eas vult surripere, inde meliùs custoditæ magis stabiles, & copiosiores existant?

4. Reg. 6.

Gen. 32.

Hebr. 1.

Illud autem postremum has perfectionis diuitias commendet, quod, vt Dominus eas perpetuo conferuet, sæpè tribulationibus tegit, & ab oculis perfectorum possidentium abscondit. Illud namque consilium Ecclesiastici: Filie tibi sunt, serua corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas,] interdum cum animabus sanctis tamquam cum charissimis filiabus Dominus quoque custodit. Qui non vt earum corpora protegat, quæ morbis, & interitui subiacet, sed vt diuitias sanctitatis eisdem commissas à perditione defendat, has animas veluti feueri vultu aspiciunt, dum tribulationu flagellis affligit. Quam obrem sanctus Iob quamlibet sanctorum animarum lampadem contemptam appellat, quia scilicet impioru hominum cæcus, eam apud Dominum despicibile existimat. Lampas contempta, inquit, apud cogitationes diuitum, parata ad tempus statutum.] Lampas nõ vacua, sed plena oleo, quæ apud Deum & homines ardet, & lucet, quam Dominus velut diuitem & ad nuptias cum æterno Rege in eundas paratã, ab ingressu sui thalami non excludit: Lãpas Ecclesiæ data, vt eam splendore illuminet, & opum abundantia condecoret. Sicut enim mudo corporeo duo luminaria, maius, & minus, sol videlicet & luna, & lumen & decorè impertunt, ita hæc lampas, anima nempe perfecta Ecclesiæ, aut congregationi, in qua viuunt, splendorem & pulchritudinem tribuit. Hanc lampadem iniqui contemnunt, & nullius valoris æstimant, quia pressuris & tribulationibus patere conspiciunt. Sæpè namque contingit, ait Gregorius, vt electus quisque, qui ad æternam felicitatem ducitur, continua hic aduersitate deprimatur, non hunc rerum abundantia fulciat, non dignitatum gloria honorabilem ostendat, nulla ei obsequentium frequètia suppetat, nulla hunc humanis oculis vestium pompa componat: à cunctis verò despicibilis cernitur, & huius mundi gloria indignus æstimatur. Sed tamè ante oculi iudicis oculis virtutibus emicat, vitæ meritis coruscet, honorari metuit, despici non refugit, corpus continentia afficit, sola in animo dilectione pinguescit, mentem semper ad patientiam præparat, & erectus pro iustitia de perceptis contumeliis exultat: afflicti ex corde comparitur, de bonorum prosperitatibus quasi de propriis lætatur: sacri verbi pabula in mente sollicitus rumi-

Eccles. 7.

Iob 12.

Greg. 10. mor. 17.

nat,

nat, & inquisitus quodlibet eloqui dupliciter ignorat. Bene itaque iusti simplicitas, & lampas esse dicitur & contempta Lampas, quia interior lucet, & contempta, quia exterior non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria resplendet decoris.] Quare exterior non lucet, quia Dominus sanctitatis diuitias, ne ab inani gloria, aut ab alio effectu elationis illidantur, tegumento tribulationis abscondit. Prudentia enim est in itinere posita, & totum in sarcinis constitutum, res pretiosas operire, & viles atque abiectas ostentare, ne quod sibi charissimum est, aut occultus latronum dolus, aut aperta violentia furripiat: & ita ad mirabilem sapientiam Dei pertinet diuitias perfectorum, qui vasa Dei sunt, non in domo aternitatis, sed in mortalitatis itinere posita, laborum operimentis munire, ne eas insultus aduersariorum rapiat, & sanctos suos pauperes & vacuos derelinquat. Ad hoc respexit Dauid, cum in persona sanctorum dixit. Deus repulisti nos, & destruxisti nos, iratus es, & miseratus es nobis.] Videtur enim eos à se repellere, & malis illatis destruere, videtur iram in illos exercere, & indignatione punire, at reuera illorum potius miseretur, dum suorum opes tribulationibus contegit, & de ipsorum nouis profectibus, & sanctitatis augmento hlarescit. Quamuis autem ista sanctorum opes Deo disponente lateant, non tamen omnino, sed vt lucerna in lampade lateat. Sicut enim lux lampadis ita opaco corpore absconditur, vt tamen per rimulas aliquatenus videatur, sic thesaurus sanctitatis per patientia & equanimitatem ostenditur, dum tribulationibus operitur. Iam tentatio virum perfectum impugnat, iam persecutio impetit, iam ageritudo corporalis angustat, sed quasi per lampadis rimulas elucet in facie cordis tranquillitas, in sermone mentis lenitas, & in omnibus cum diuina voluntate conformitas, quæ à quolibet sapiente cunctis mundi diuitiis præfertur, & supra vniuersos thesauros æstimatur.

Perfecti ergo viri sunt diuites, qui virtutibus vetis, scilicet diuitiis, abundantes, qui nullius rei peritura se indigere existimant, qui nulla terrena desiderant, qui ipsi miseris in opibus crescunt, qui tribulationibus & pressuris diuitias suas non perdunt, sed ab iniuriis aduersariorum custodiunt. Inter omnes verò opes, quas possident, hæc est aut maior aut mirabilior eorum substantia, quod cum tam copiosè descant, non tamen superbiunt, nec in sua prosperitate confidunt. Angelus quidem à Deo diues, & sanctus creatus ex alienis diuitiis superbiuit, in cuius corde hæc vox elationis intonuit: Ego dixi in abundantia mea non moriebor in æternum.] At sancti, & perfecti, licet ex luto conditi, & ob id superbia insultibus magis expositi (quæ solet facilius animos viles, & abiectos subicere) nequaquam ex accepta sanctitate superbiunt, sed quò sanctiores, ò mira res! & quò ditiores, eò se magis humilitate deiiciunt. Optime enim agnoscunt se à diuina bonitate iuari, vt incipiant, vt progrediantur, & vt ad perfectionis culmen ascendant; sine cuius iuuamine non solum ad perfectionem non peruenissent, verum nec primum ac minimū virtutis progressum fecissent, nec peccatorum præcipia vitassent. Quare libenter consentitur: Nisi quia Dominus adiuit nos, paulominus habitasset in inferno anima nostra.] Si dicebamus & fatebamur, mortuus est pes noster, & affectus noster in iniquitatem propensus, misericordia tua Domine adiuuabat nos.] Et rursus alio loco clamant: Adiuua nos Domine Deus noster, saluos nos fac secundum misericordiam tuam. Et sciunt, quia manus tua hæc, & tu Domine fecisti eam.] Hæc verissima propria vilitatis, & diuinæ bonitatis cognitio perfectos viros erudit, vt inter abun-

daantiam spiritualium diuitiarum humiles sint, seiplos despiciant, & in solo Deo tamquam in omnium bonorum principio confidant. Ipsum vt auctorem sanctitatis, & seiplos vt vilia instrumenta ab ipso mota & eleuata conspiciunt, & indignum putant, præcipua & vera causa sanctitatis obliuiscunt, sibi ipsi, qui à Deo vocantur, & mouentur, & quodammodo impelluntur, hoc opus gloriosum ascribere. Merito timent, ne illis exprobrer Dominus, quod Senacheribo, aut Nabuchodonosori exprobrauit per Isaiam dicens: Numquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur? quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est.] Sapienter Laurentius Iustinianus hæc perfectorum humilitatem tantis opibus cumulatam admiratur, cuius hæc est oratio. At verò perfecti, quorum in præsentiarum exiguus est numerus, iam mundo ex corde mortui, quibus etiam crucifixus est mundus, quamuis operentur magna, aggrediantur ardua, perferant aspera, innocenter viuunt, virtutibus polleant, coruscant miraculis, terrena despiciant, inhiantique affectu concupiscant cælestia, veritatis tamen lumine illustrati, se nihil ex se esse proclamant, atque ex Dei gratuita bonitate, si quid sunt, sincera humilitate fatentur esse quod sunt. Norunt siquidem se conditoris vniuersorum esse instrumenta electa per gratiam, quæ proculdubio nisi exercerentur à Domino, tamquam cæteri iacerent interiori habitu vacui, memoriter retinentes, quod Dominus ait: Sine me nihil potestis facere.] Hoc igitur mirabilissimum est, quod sancti veris diuitiis abundantes, humiles sunt, & quò ditiores, & modestiores, & humiliores euadant, & non verbo tantum (nam homini de se mendaci mentiri esset facile) sed sensu mentis & affectu cordis, se omnibus hominibus tamquam abiectissima aramenta postponunt. Quod si de diuitiis sæculi dixit verè Augustinus, Tinea diuitiarum superbia est, de diuitiis sanctitatis dicamus nos, Ornamentum diuitiarum humilitas est. Has nos, qui sæculi opes contempnimus, diuitias queramus: has nos non ex cavernis terræ: sed ex corde Dei nostri precibus, & lacrymis, & gemitibus eramus: has nos cura peruigili, & assidua sollicitudine comparare & augere curemus. Hæc sunt diuitiæ, quæ non pungunt, sed mulcent; non cruentant, sed sanant; non inquinant, sed animas nostras purificant. Hæc sunt diuitiæ pauperibus de industria referuata: nam Deus eligit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & heredes regni, quod repromissit diligentibus se.] Hæc denique sunt diuitiæ, quæ in hac vita positos nunquam nos fatiant, sed nouo semper desiderio amplius acquirèdi sollicitant. Si enim, Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit, similiter augetur perfectionis amor, quo magis sanctitas in mentibus perfectorum augetur: donec ad illum gradum sanctitatis perueniant, quem postremum spiritum agentes suscipiant, quem non consequitur tristis sollicitudo eorum diuitum cruciatura, sed læta, & secura felicitas sine fine duratura.

Quod perfectio ineffabiles delicias contineat.
CAPVT XVII.

ROST perfectionis diuitias, eius delicias perferentemur, vt si Dominus in pauperibus ditandis gloriosè magnificatus est, in animabus quoque, perfectorum læticia & gaudio cumulatam gloriam suam & magnificentiam ostendet. Nam eximia Dei gloria est, si animam cape Egypti, & porris & aliis assueram, manna suauissimo consolatorum diuitiarum pascat, & cælestium spirituum voluntatibus repleat. Illud etià huic diuinæ gloriæ prædi-

Isaia 10.

Iust. li. de grad. perfectio. nis. c. 8.

Ioan. 15.

August.

Iacob. 2.

Psal. 59.

Psal. 29.

Psal. 93.

Psal. 108.

Ecl. 5.

canda; & extollenda subseruit, quod diuitiarum mundi adiunctam tribulationem, & sollicitudinem habent, at diuitiarum perfectionis (quæ non tribuli & spinæ sunt, sed rosæ & flores dilectissimi) non tribulationem, sed voluptatem, non pungentem sollicitudinem, sed mulcentem tranquillitatem retinent. Quare Salomon ait: Dulcis est somnus operanti, siue parum siue multum comedat: Saturitas autem diuitis non sinit eum dormire. Diuitis enim abundantia, quo maior, & copiosior est, eo curas molestiores ingerit, & somnum, id est, cordis quietem amouet, ac cura æternam salutem operantis, dulcem somnum, hoc est, conscientiam pacatam, & deliciis cumulata, hoc est, non tantum dum feruenter currit, verum etiam dum moderatius ambulat, & segnius operibus virtutis intendit. Has delicias perfectorum, qui perfecti sunt, sufficienter exponere, & experimento celestium consolationum edocti, disertè ac copiosè declararent, nos verò, qui perfecti non sumus, & adhuc tamquam paruuli, pannis infantiarum spiritualibus obvoluimur, quas experientia vix nouimus ex ipsa natura perfectionis, veluti ex fonte, ex quo manant, eruiamus.

Perfectio (vt non semel diximus) perfecta charitas est, quæ malum peccati destruit, quæ habitus vitiorum extinguit, quæ imperfectiones vincit, quæ vires animæ, & cordis affectus componit. Hæc autem vnio est, & suavis amplexus, quo Deo iungimur, & originem bonorum amplectimur. At hæc vox amplexus non hominis, sed Dei, non creaturæ, sed creatoris, si attentius inspicatur, satis indicat, quanta sit perfectorum gloria, quanta sint perfectionis delicia, quibus animas sanctas inebriat, & extra se ipsas in ineffabile gaudium educit. Merito sponsa velut sapiens, velut scientiam amoris callens, summam spiritus voluptates hoc solo nomine comprehendit, dicens: Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Quanta securitas eius animæ, quæ leuam Domini, id est, comminationem supplicij, vt exponit Bernardus, sub capite habet! quia beneficiis præuenta, & ea charitate, quæ timorem excludit, exornata, ab eo, à quo diligitur, & quem vnice diligit, nullam malum, nullam supplicium exhorret. Et quanta delicia eiusdem felicitatis animæ, quæ dextera complexum experitur, quæ omnium delectationum summa comprehenditur. Scriptum est enim: Delectationes in dextera tua vsque in finem. Delicia carnis si veræ, & mundæ sunt, nescio, imò quod falsæ, & fœdæ sunt, scio, & quod statim euanescent, & cor amarum felle relinquunt, optimè nosco. At delicia spiritus & veræ sunt, & mundæ, quia à virtute profectæ, & stabiles, quia quod quis purior, & perfectior est, eo magis his deliciis affluit, & in huius vitæ sine eas in æternam ac beatam voluptatem commutatas nequaquam amittit. Læua eius, inquit, sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Si læuam, id est, sponsam Christi, id est, animam perfectam, sub capite habes, ergo omnes diuitias, omnem fastum, omnem mundi gloriam contempnis, & tamquam res oculos tuos fugientes obliuisceris! Si amplexum dexterae sponsi sentis, ergo dies longos, hoc est, perpetuos, & nulla dolorum, & mæstitia nocte interceptos experituris. Quia Salomon ait: Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiarum, & gloria. Quid autem latius, quid iucundius, quam delicias nulla tristitia intermissas habere, nec de rerum huius mundi absconsione tristari? Res ista aliquam corporis voluptatem afferunt, sed talem, vt accipientem fatient, & si modicum durent, ad fastidium & nauisam propendent: complexus ille diuinus tam supra om-

Cant. 2.

Bern. ser. in Cant.

Psal. 15.

1 Reg. 3.

nem captum humanum est dulcis, vt numquam animam brachijs Domini cinctam exaruret, nam quod magis perseuerat, eò maioris sui desiderium accendit. Quod discrimen deliciarum corporearum, & spiritualium, certè satis notum, & ipsa experientia compertum Gregorius perspicue, vt solet, & eleganter exposuit: Eius verba sunt. Hoc distare inter delicias corporis & cordis solet, quod corporales deliciae, dum non habentur, graue in se desiderium accendunt: cum verò auide eduntur, comedentem prius in fastidium per satietatem vertunt. At contra spirituales deliciae, cum non habentur, in fastidio sunt, cum verò habentur, in desiderio: tantoque à comedente amplius esuriuntur, quanto & ab esuriente amplius comeduntur. In illis appetitus placet, experientia displicet. In istis appetitus vilis est, & experientia magis placet. In illis appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat. In istis autem appetitus saturitatem, saturitas appetitum parit. Augent enim spirituales deliciae desiderium in mète, dum satiant: quia quanto magis earum sapor percipitur, eo amplius cognoscitur, quod auidius ametur. Et idcirco non habita amari non possunt, quia earum sapor ignoratur. Quis enim amare valeat, quod ignorat? Proinde Psalmista nos admonet, dicens: Gustate, & videte quoniam suavis est Dominus. Ac si aperitè dicat: suauitatem eius non cognoscitis, si hanc minime gustatis. Sed cibum vitæ ex palato cordis tangite, vt probantes eius dulcedinem, amare valeatis. Sapienter itaque, ipsa amplexus diuini nomine omnes perfectionis delicias explicauit, si quidem non solum purissimæ voluptatis magnitudinem, sed etiam perpetuitatem habet, quam experimētum non tollit, sed auget, & omnem sollicitudinem rerum humanarum pungentem excludit.

Nos verò, qui sponsam sapientiam nondum accepimus, nec res obscuras, & à sensibus alienas, vnico verbo intelligimus, hunc Dei amplexum ignorantia nostræ fati implexum euoluamus, & quid gaudij, quid exultationis, quid deliciarum contineat, vestigemus. Brachia Domini, eius sunt diuinitas, & humanitas, quibus & mira operatur, & omnia à se creata sustentat. Vnde inquit per Isaiam. Prope est iustus meus, egressus est Saluator meus, & brachia mea populos iudicabunt. Quæ namque brachia homines iudicant, nisi Deus & homo Christus Iesus? De illo inquit Paulus, quod iudicabit Deus occulta hominum. De hoc verò Ioannes: Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. His duobus brachijs Dominus animam perfectam amplectitur, vel cum eam sibi per gratiam, & virtutes, & auxilia supernaturalia iungit, ne in malum ruat, & bona perfectionis ipsi insula dilapidet, vel cum mentem eius cognitione suæ diuinitatis & humanitatis replet, & in seipso omnem aciem intellectus & voluntatis affectum, pasci & occupari permittit. In illo primo complexu ineffabilis delectatio est, dum anima intra semetipsam canit lætæunda & laudans: Dominus regit me, nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit. Nihil enim iucundius seruo, aut delectabilius esse potest, quam videre se Domini benignissima prouidentia regi, potentia defendi, & muro inexpugnabilis bonitatis protegi. Quare Abigail mulier prudentissima, & speciosa, vt indignationem Dauidis memoria alicuius magnæ consolationis leniret, dixit illi: Si surrexerit aliquando homo prosequens te, & querens animam tuam, erit anima Domini mei custodita quasi in fasciculo viuientium apud Dominum Deum tuum: porò inimicorum tuorum anima vocabitur quasi in impetu & circulo fundæ.]

Greg. 68. 36. in Euang.

Psal. 33.

Isaia. 51.

Rom. 2. Ioan. 5.

Psal. 22.

1. Reg. 25.

Hug. in
lib. 2. Re-
g. c. 21.

Fasciculo viuientium numerus sanctorum exprimitur, quem Dominus custodit, vt pupillā oculi, & sub umbra alarum suarum benignè defendit. Sicut enim, ait Hugo, facile est quemlibet fasciculum herbæ, vel fœni manu sua retentum conferuare, ita virtus Domini, & Saluatoris nostri per orbem electos ab initio vsque in finem sæculi, ne quis ex eis vlla ratione pereat, sine labore tueretur. Quemadmodum ergo lætium est homini, vitæ suæ hostes victos, prostratos, & præ timore in fugam versos aspiciere; ita iucundū est experimento cognoscere, seipsum in forte viuētium computatum à Domino custodiri, & inter malorum, & casuum pericula integrum illæsumque seruari. Ad quam lætitiā Iſaias animam iustam exultat, dum ait: Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui sanctus Israël. Magna profectò exultationis materia, si Dominus in medio nostri consistat, & vt amantissimus Pater, zelans pro domo sua nos à periculis imminētibus liberet, & seipsum nostri amatores, & defensorem exhibeat. Iste est Sabbatissimus relictus populo Dei, in quo anima læta requiescit, & in medijs huius mortalitatis laboribus interiorē pacem & cordis gaudium non amittit. Quod bonum quātum sit, ille solus nouit, qui affectibus passionum raptratus, & dæmonis insultibus impetitus, tandem spiritus feruore concepto in nouā vitæ conuersationē respicit, quam misericordiatū Pater confidentiæ dono, specialis prouidētia munere, & incomparabili quadam tranquillitate remunerat: sed de hoc aliās.

Iſaiā 32.

Heb. 4.

Nunc alterum illum amplexum, qui ad hunc locum propriè pertinet, prout possumus, exprimamus: quo scilicet Dominus per cognitionem, & amorem, perfectam animā sibi copulat, & motibus diuinarum consolationum astringit. Hoc amplexu, qui contemplatione perficitur, Dominus memoriam contēplantis animæ à dispersionibus auocatum in vnum summum bonum cōgregat: intellectum radijs sapidæ lucis illuminat, voluntatem ardoribus desideriorum, & affectibus amoris inflammat; cor carneū sensu miræ suauitatis emollit, & corpus ipsum per quādam animæ redundantiā in dulces lacrymas resolutum ad nonnullam participationem angelicarum deliciarum euehit. Tunc anima cognoscit, & amat, amat, & laudat; laudat, & cantat; cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Quia non sola mente, cordis appellatione signata, sed carne quoque brutorum delectationibus allueta, spirituales exultationē percipit, cuius experimēto vniuersam carnis delectationem auersatur atque contemnit. Nec immeritò, quoniam hæc non minus ab illa tum magnitudine, tum dignitate quàm terra à supremo cælo distinguitur. Ac ideo spirituales delicias possidētibus, optimè cōgruit illud Amos: Trāsite ad gentes, & optima quæque regna horum, si latior terminus eorum termino vestro est. Non est sanè maior, imò infinitis partibus angustior, siquidem ille fœtidam carnem nunquam exlariat, & iste augustissimum spiritum omni ex parte repletū delicijs infinitis lactificat. In cuius veritatis attestationē Ioannes Cassianus, virtutum delicias non solum vniuersis sæculi voluptatibus præfert, verum etiam istas non voluptates, sed animi angores & anxietates edicit. Et reuera, inquit, si cōparare volueris suauē olentem virginitatē florem, & tenerrimam castimonix puritatem, tertis ac fœtidis libidinum volutabris: quietem securitatēque monachorum, periculis & arumnis, quibus mundi huius homines implicantur, paupertatis nostræ requiem, edacibus duntum tristibus, ac peruisigilibus cutis, quibus non absque summo vitæ periculo diebus ac noctibus cōsumuntur, suauissimum iugum Christi, omniūque le-

Eſai. 83.

Amos 6.

Cassian.
col. 24.
c. 25.

A uissimum, facillimè comprobabis.] Hoc iugum, qui perfectè suscipiunt, non tantū leue & suauē, sed dulce ac voluptuosum iudicant, quia non ex ligno, feròque cōpactum, sed ex brachijs Domini cōpositum sentiunt. Amplexus enim sponsi, quo sponsam amplectitur, amplexus est, quia cingit; & iugum est, quia eam sibi submitit; sed sine amplexu, siue iugū dicas, numquā illum dolori iunges, aut à summa voluptate diuelles. Ita amplexus iste Dei, quo animam sibi per cognitionem, & amorem copulat, & virtutum actionibus fœcundat, & ad perfectam vitam in lucē eden- dam impellit, licet inſtar iugi animā subiuguet, numquam tamen summa delectatione caret, numquam onerat, sed veram libertatem impertit. In hoc amplexu anima quādam infinitam pulchritudinem videt, quam oculi carnales non vident: quādam vocem dulcissimam audit, quam exterior auris non audit: quēdam odorem suauissimum percipit, quem corruptibilis odoratus non percipit: quēdam saporē inexplicabilem gustat, quem palatus corporeus non gustat: quōddam summum bonum brachijs voluntatis tenet, quod brachia veteris hominis tenere non possunt. Huius boni possessione felix est, nec suā felicitatē ignorat, quod triste & luctuosum esset, sed se felicem, & beatā agnoscit. Huius ditissimi thesauri acquisitione contenta, huius nectaris cibo sine fastidio satiata, huius ambrosiæ potu sine vlla infamix nota inebriata, omnia terrena, vt vana & inania despiciat, omnia mundi sublimia & excelsa, vt infima & indigna proterit, omnia sæculi dulcia, & delectabilia, vt amara, & nauſeam prouocantia refugit; & ipsum nonnumquam alimentum naturali imbecillitati necessariū exhorret. Sponsi sui capta dulcedine, & vincula colloquii, hominum consortia fugit, colloquutiones non necessarias vitat, ineptas visitationes declinat, & solam illam, aut hominum, aut rerum humanarū memoriā sustinet, quam necessitas fert, quam charitas ingerit, quam obedientia iubet, quam aut status, aut munus exposcit: De hac & similibus dictum est per Prophetā. Pafce populum tuum in virga tua, gregem hereditatis tuæ, habitantes solos in saltu, in medio Carmeli: pascetur Bafan, & Galaad iuxta dies antiquos. Quoniam hos Dominus solitudinem amātes, & (prout possunt) homines fugitantes, virga, aut pastorali baculo suæ prouidentia regit, vberimis pascuis deliciarum pascit, & in montibus excelsis Ecclesie, hoc est, in cognitione celissimorū arcanorum, secundū dies illos antiquos, quibus homo in innocentia perseverans diuina contēplabatur, ad gustum quēdam immortalitatis deducit. Nonnumquam verò anima aliquo singulari dono consolationis affecta, cælum & terram rogat, homines, & Angelos obſecrat, & omnes creaturas obſecrat, vt paulisper quiescant, nec eam à gustu tantæ suauitatis impediāt. Quod piū desiderij Dominus lætante acceptans, sine fructu amata quietis esse non patitur, & ad debitū tempus (quod semper breue est) ventos curarum etiam vtilium ligat, vortices occupationum sopit, & filios spoliā quæretes, & ab eius lacte pendētes, secretissima quadā & suauissima prouidētia ab vberibus eius auerit. Videas illum zelantem delicias sponsæ suæ, & teneris adolescentulis illud Cantico- rū inculcantē: Adiuo vos filix Ierusalē per captas, ceruicūque cāporum, ne susciteis dilectam quousque ipsa velit. Hæc vacatio (vt dicere cōperā) breuis est, quoniam perfecta anima tum charitatis debito, tum proximorum necessitate, tum sponsi voluntate suscitatur, & amplexus sponsi intercedere cogitur, & ad pijs actionum curas redire compellitur. Quare memoria experta suauitatis illecta, & desiderio illius status

Michæ
7.

Cant. 2.

aecensa, in quo ista delicia nullam interpellationem sentient, vitam istam mortalem deserere; & mortem, quæ ianua vitæ immortalis est, aggredi concupiscit. Hinc illæ voces: *Mibi viuere Christus est, & mori luerum.*] Et desiderium habens dissolui, & esse cum Christo, quia multo magis melius.] Et sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei. Horum verò desideriorum impletio differtur, vt fidelis sponsa ad destinatam sibi sanctitatis mensuram, & ad promissum gloriæ gradum multiplicatis actionibus meritorum perueniat; & vt maiores adhuc spirituales delicias & ampliores haustus æternæ voluptatis accipiat. Quæ nonnumquam tam ineffabiles sunt, vt mentem extra se rapiant, & omnem sensum doloris, & memoriam rerum terrenarum euellant. Hic iam anima sua carnis imbecillitati consulens, & voluntati Domini satisfaciens, torrentem inundantis voluptatis, precibus & orationibus declinare contendit. Fuge, inquit, dilecte mi, & assimilare capræ hinnulæque ceruorum super montes aromatum.] Quod (vt nunc Ephæmum, & alios omittam) Xauerium nostrum Indiæ Orientalis Apostolum fecisse comperimus, qui sapè deliciarum cœlestium abundantiam suffulsi, ac penè obrutus, dicebat ad Dominum, Sat est Domine, sat est, hac vocis iteratione contestans, tam eximiam exultationem, & gloriam vitam mortalem sufferre non posse.

Ex his deliciis quibus anima in contemplatione saginatur, in tempore actionis, fluuiis iucundissimæ pacis exoritur. Hic fluuius eam aquis cuiusdam mirabilis tranquillitatis rigat, & pacatæ conscientiæ (qua nihil delectabilius) partu fecundat. De quo fluuiio scriptum est: Ecce ego declinabo super eam, quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium.] Et rursus: Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset quasi flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris.] Quia enim perfectus quisque Dei mandatis intendit, & vniuersa præcepta absolutissimè complet, non tantum hac abundantissima iustitia instar gurgitum maris cumulatur, verum etiam præmio lætissimæ pacis afficitur. Sed quidni pacem habeat anima, quæ auctori pacis amore iungitur, & principem pacis, vita & moribus imitatur? Quidni gaudium pacis fructum possideat, quæ pacis sequela omnem a se turbationem amouet, & meroris ac dolorum materiam abscindit: Quantum autem sit istud gaudium ex pace conscientiæ profectum, ex verbis Bernardi cognoscimus, in hunc modum scribentis. Sed est gaudium continua sibi iucunditate firmissimum, quod perfectus animus de secura sibi conscientia pollicetur. Mens enim ab eiusmodi aspergine purè pressæque deterla, & in diuinæ contemplationis acumen totum desiderij sui figès affectum, gaudens gaudet in Domino, & exultat anima sua in Deo salutari suo. Talis anima minas aspernatur, nescit timorem, spem falsam eludit, & omnium scandalorum immunis, in pace in idipsum dormiēs requiescit. Pax multa diligētibus legem tuam, ait iustus, & non est illis scandalum.] Nouerat enim quia liethores non persequuntur martyres, sed coronant. Cū huiusmodi gaudētibz gaudet Apostolus, & vt abundantius gaudeant, tota securitate promittit. Hoc gaudium certum, & plenum est, tantoque certius idem, quātō vicinius citra identitatem imprimatur. Hæc est mamilla congratulationis, de qua lac exhortationis effunditur, quo nutriuntur perfecti, vt cū auulsi fuerint à lacte isto epulentur ab introitu gloriæ Dei.] Gaudium profectō magnū, lætitia immēsa, quæ seminaria tristitiæ, minas & timores, inanes spes, & scādala delictōrum euacuat. Gaudium magnū, quod non dolor, importunus hospes

excipit, sed gaudium aliud maius iustos in introitu patriæ cœlestis expectans, in hospitium perpetuæ exultationis admittit. Gaudium magnum, quod Paulus appellatione gloriæ nobilitat. Nam hæc est gloria nostra, inquit, estimonium cōscientiæ nostræ.] Gloria vera, quæ nos gloriosos coram Deo, & Angelis facit, & ideo lætos, & exultationis plenos efficit. Quæ imperfecti à longè salutant, & si ad perfectionē tendant, impensè desiderant, iniqui verò profusus ignorant, quibus non pax læta, nec læticia pacifica, sed lamentationes & carmen, & vix parata sunt. Carmen inquit, lugubre, quo post tristitias, & languores, & anxietates impiæ conscientiæ, æternos cruciatus, quos sustinent, sine vlla intermissione deplorent. Hæc igitur magnam sanctamque læticiam, quam conscientia pacata, & secura comitem habet, lux contemplationis, qua diuinam bonitatē erga iustos, & misericordiam cognoscimus, sine dubio parit. Iuxta illud, quod in Psalmo legimus. Lux orta est iusto, & rectis corde lætitia. Lætaminij iusti in Domino, & confitemini memoria sanctificationis eius.] Ex luce, quæ interiora illuminat, & quod bonum, & pulchrum est, approbat, quod verò malum, & sædum est, improbat; lætitia iustorum procedit, vt de miserationibus acceptis lætentur, & Deum opera sanctitatis patrantem, corde & ore confiteantur.

Triplitem hucusque læticiam perfectōrum expressimus, alteram à protectione Dei, alteram ab studio orationis, tertiam à conscientia pace profectam; sed restant duæ aliæ, prima in bonis præstandis; secunda in malis sustinendis inuenta, quæ breuiter enucleandæ sunt, vt quantis deliciis perfectio affluat, abundantius exprimamus. Perfecti in bonis operibus faciendis, & diuinis mandatis custodiendis, ingētem voluptatem capiunt. Nam & virtutum opera per se iucunda, & suaui sunt, quia naturæ hominis cōsona, & dulcedinem operanti tribuūt, si animo recto exerceatur. Sicut enim mel dulce quidē est in se, & dulcedine palatum purgatum, & noxiis humoribus vacuum afficit, ita virtus suaui est, & animum rectum lætitiæ suauiate perfundit. Talis autem est perfectōrum animus, qui omnem rectitudinem adamauit, & mores distortos prauosque reiecit. Qui dicit: Ad omnia mandata tua dirigebar, omnē viam iniquā odio habui.] Natiam autem virtutis suauiatē consuetudo bene operandi, spes præmij cœlestis, & amor in Deum auget, quibus iustus animatus pro virtutis dulcedine omnem aliam voluptatem relinquit. Hic igitur in virtutis operibus maiorem voluptatem percipit, quàm gustus hominis sani, & famelici in conuiuio suauium ciborum sentit. Cibus enim animæ, alimento corporis suauior est, quia non seruo corruptibili, sed hero nobilissimo, & planè incorruptibili præparatus. Quod Bernardus putat à viris iustis dubitari non posse. Explicans enim illud: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui, sic ait: Sed quid, o Propheræ, quod tam absolute mones delectari in Domino, ac si ad manum nobis sit huiusmodi delectatio: Delectationem cibi, somni, & quietis, & cæterorum, quæ in terrâ sunt, nouimus: Deus autem quæ delectationem habet, vt in eo delectemur: Fratres mei, sæculares hoc dicere possunt, vos nos potestis. Quis enim vestrum est, qui non sapè expertus sit conscientia bonæ delectationis? qui non gustauerit saporem castitatis, humilitatis, charitatis? Non est hæc delectatio potus, neque cibi, aut similis cuiuslibet rei: delectatio tamen est, & maior omnibus illis. Diuina enim est & non carnalis delectatio; & cū in his delectamur, planè delectamur in Domino.] Hanc virtutis voluptatem perfecti tam

2. Cor. 3.

Psal. 96.

Psal. 118.

Bern. ser. 5. in Quadragesim. Psal. 36.

magnam

Psal. 36.

Psal. 83.

magnam existimant, ut eam omnibus mundi bonis libentissimè præferant. Hoc quippe significant illa voces. Melius est modicū iusto super diuitias peccatorū multas. Et melior est dies vna in atrii tuis super milia. Quid est, melius est modicū iusto, nisi melius & iucundius est vnum virtutis opus, licet modicam, datum à Domino, iusto, vniuersis diuitiis, quæ conceduntur peccatoribus, quia de illo bono opere iustus delectatur; & de spe non modici sed infiniti præmij gloriatur; immensis verò diuitiis peccatores onerantur, & sollicitudine earū augendarum cruciantur. Et quid est, melior est dies vna in atrii tuis super milia, nisi præstantior est vna dies bonæ vitæ, quam in atrio patriæ superne transigimus (quod meritum eius est) quam mille dies, imò quam innumeri dies transacti in tabernaculis peccatorum. Gaudiū itaque verū, & voluptatem solidissimā, neque dignitatis sublimitas, neque diuitiarū abundantia, neque potestatis magnitudo, neque corporis salubritas, nec ciborum lautitia, nec vestitū elegantia, nec aliud quippiam, quod homines in deliciis habent, præstare potest, sed sola virtus, & cordis munditia potest efficere. Hanc qui habuerit, licet in infimo loco constitutus, licet omnibus sæculi bonis orbaris, licet nulla potestate suffultus, licet morbis exesus, licet fame confectus, licet vestimentis spoliatus, vitā habet deliciis referam, & sola virtute, & sanctitate, quæ pro omnibus bonis est, honoribus, dignitatibus, opibus, & reliquis desiderabilibus reputatur ornatus. Hac qui caruerit, licet sit repletus pecuniis, vallatus honoribus, & deliciis mundi circumdatus, miser, & tristis viuunt, quoniam conscientia vermīs illum mordet & aculeus peccati compungit; quem, si guttula mellis totum mare edulcare non potest, nec vniuersæ carnis voluptates (quæ velut modica stilla sunt) ad pacem & quietem conuertent.

Non solum autē bona faciendo perfecti delectantur, sed & mala patiēdo iucunditatē experiuntur: quoniam Dominus tribulationes & dolores dulcedine cōdit, ut amicissimi sui eas sine timore comedat, imò cū auditate deglutiat. Sed quæ dulcedo potest amaritudinem tribulationis cōdire? Certè duplex, altera præsens, altera futura. Dulcedo præsens tribulationis est, quod nos ad virtutē exaccit, & merita cumulatiſſima in patientis sinu infert. De qua inquit Paulus: sed & Gloriamur in tribulationibus, scientes quod tribulatio patientiæ operatur, patientia autem probationē.

Rom. 5.

Si enim faber ferrarius ferrum emolliendo, & ex eo aliquid operis faciendo, delectatur, & cantat, quoniam ex eo mercedē expectat, cur iustus dolorem sustinēs, & seipsum tribulatione molliens; non delectabitur, atque cantabit? si quidem non solā mercedem futurā, sed præsens bonū, & illud magnum atque præcellsum, patientiæ & probationis reportat. Hoc autē discrimē Chrysostomus inter labores alicuius rei temporalis gratia, & labores Dei causa exaltatos agnoscit: quod illos nulla præsens delectatio minuit, istos tamē præsens voluptas non modicum afficit. In rebus, inquit, huius sæculi, certantes quidem laborem, ac dolorem, miseriamque sustinent, coronæ verò, & præmia accepta; voluptatem demum apportant: hic verò secus. Nihil enim nobis minus iucunditatis afferunt certamina ipsa, quam certaminum præmia. Cuius causam post pauca subiungit, dicens: Tribulationes etenim ipse in seipſis sunt res bonæ. Quæ ratione? Quoniam ad patientiam imbunt. Dulcedo autem futura tribulationes strages & dulces efficiēs, est spes mercedis promissæ iis qui pro Deo mala sustulerint. Quæ expressit Dominus dicens: Beati estis cū maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, merentes, propter me: gaudere & exul-

Chrys. hom. 9. ad Roma.

Matt. 5

tate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.] Iam profectò sentiunt istam mercedē, ut Augustinus ait, qui gaudent spiritualibus bonis, sed tunc ex omni parte perficietur, cū etiam hoc mortale induerit immortalitatem. Interim autem, dū ex omni parte perficitur, & dum corpus mortale immortalitate vestitur, huius gloriæ expectatione delectantur, & amarū quod in tribulationibus est, felicissimā expectatione obrutum, nec refugiunt, nec aduertunt. Liqueat ergo hanc esse sortem filiorum Dei, illorum præsertim, qui aut perfecti sunt, aut ad perfectionem celeri passu festinant, qua iniquis & peccatoribus eminent, quod isti ad pressuras, & tristitias nati sūt, illi verò ad purissimas delicias, & sanctissimas voluptates entriti. Qui si in agritudines, si in tribulationes, si in persecutiones incurrat, duabus alis præsentis meriti, & spei futuri præmij, dolorem tribulationis fugiunt, & in tuto gaudiij se constituunt. Vnde ait Iob: homo nascitur ad laborem, & auis ad volatum. Ego in homine, cum Gregorio, hæredem primi parentis, & imitatorē inobedienciæ eius; in aut verò noui hominis Iesu Christi filium, & sectatorē inspicio. Ille enim ut filius terreni ad sola terrena inhiat, & infima ac corruptibilia desiderat: iste verò, ut filius cælestis in cælū volat, & ad expugnationem mansionū cælestium anhelat. Homo ergo, id est, conditione terrenus atque peccator, ad laborem natus est, quia in omnibus, tribulis & spinis afflictionum pungitur, & in lauris ac opiparis conuiujs pane doloris & laboris vescitur, ut pœnā suæ inobedienciæ sustineat, illo Domini sermone prolata: In sudore vultus tui vesceris pane tuo.] At auis, id est, iustus conuersione cælestis, & à terra desiderijs & moribus eleuatus, nascitur ad volatū, quia dum meritis præsentibus, & spe futurorum volat, molestiis huius mundi se eximit, & in arcē deliciosæ tranquillitatis ascendit. Hic ad volatum natus est, quia dum se à terrenis amore elongat, & in terra se peregrinū iudicat, si quæ aduersa incidant, in illis tamquā in alienis, & vix ad se pertinentibus non laborat. Rectè namque dixit Gregorius, sancti viri, quia transeuntia non amant, non solum nulla temporalium desideriorum pondera tolerant, sed & si qua aduersa confurgunt, in ipsiſ suis pressuris, & languoribus non laborant. Quid enim flagellis durius? & tamen de flagellatis Apostolis scriptum est: Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij: quoniam digni habiti sunt pronomine Iesu, contumeliā pati. Quid ergo eorum mentibus labor est, quibus & pœna verberum labor non est? Homo ergo ad laborem nascitur: quia ille huius mundi veraciter mala sentit, qui eius bona inhiante appetit. Nā cuius mens ad alta suspenditur, sub ipsa est, quicquid exterius cōtra ipsam mouetur. Verè magna est vitæ studiosa, & præcipuè vitæ perfectæ iucunditas, qua homo siue ad cor suum ingreditur, siue ad exteriora egreditur, siue lana & pelle, tribulationibus spoliatur, semper tamen vberissima pascua sanctarum deliciarum inueniet.

Nos ergo qui viuere sine deliciis non possumus, vitam perfectam excolamus, in qua miro modo est abundantia omnium deliciarum, & voluptatum abscondita. Nec dubium quin perfectionem colentes, & diuinorum mandatorum & consiliorum viam arripientes, cælestibus deliciis pasti dicamus: sicut audiuiſmus, sic vidimus in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius.] Nam in Ecclesia, quæ ciuitas Dei est, & in religiosa vita, quæ mons Ecclesiæ sanctus esse conspicitur, tales consolationes, & mentis delectationes experiemur, quæ famam vincant, & audita non solum æquent, sed excedant. Ne nobis Diabolus amantibus voluptatem, illudat, & ad fœdas aut ina-

E

Aug. lib. 1. de ser. Domini. c. Tom. 4.

Iob 5.

Gen. 3.

Greg. 6. mor. c. 7.

Aut. 5.

Psal. 47.

nes voluptates veterinosus deceptor impellat, quia illa nec vera sunt, quæ tenebras ignorantia, atque peccati mentibus nostris offundunt, nec durabiles sunt, quæ statim fugiunt, & conscientiam stimulis pravationis pungunt, nec dignæ, ut à nobis admittantur, quæ veras & perpetuas virtutis delicias impediunt. Hanc quorundam stultitiâ cupientium voluptatem sanctus Prosper oratione, quam subiiciam, simul describit, atque deplorat. Heu quam subtiliter nos ille decipiendi artifex fallit, quanta cæcitate oculos nostræ mentis obducit, ne discernamus gaudendi auidi, unde iustus gaudeamus. Nā gaudere quidem bonum est; Sed qui gaudet, si non inde gaudet, unde debet, non potest bonum esse quod gaudet. Siquidem gaudet & raptor, cum desiderata rapuerit; gaudet & ebrius, cum exoptatâ occasione potationis inuenit, gaudet & adulter, cum ad delectationem fruendi corporis cōcupiti pervenerit: sed cum sit gaudere bonū, de his atque huiusmodi gaudere, grande est malum. Hæc & his similia sunt, unde gaudere nos vult mūdus cum suis amatoribus periturus. Hæc sunt quæ repudiare debemus, ut de bona conscientia & sanctitate morū, de acquisitione virtutum, de dono Dei, & de promissionibus futuri regni ineffabiliter gaudeamus. Fugiamus itaque illa, ut complectamur ista; deseramus illa, quæ animam lacerant atque eruant, ut possideamus ista, quæ mulcent, & sanant. Detestemur lubricas voluptates, quorum extrema luctus occupat, & diligamus corporis nostri, & affectuū nostrorū victoriam, virtutumque sequelā, cuius desiderii dulce est, cuius exercitatio suavis est, cuius præmium ipsa incomprehensibilis voluptas est. Sic illud Pauli, non iam in codicibus solum legemus, non iam corporis tantum auribus audiemus, sed opere ipso discemus, qui ait: Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete.] Gaudebimus enim perfectionem cupientes, cuius sunt desideria dulcissima. Gaudebimus magis, vicium perfectionem habentes, cuius est possessio felicissima. Gaudebimus in immensum, mercedem, perfectionis accipientes, cuius est merces amplissima: & sicut impij ex doloribus in æternos dolores properant, ita & nos ex veris deliciis in æternas delicias properabimus. Sic etiam nō sine stupore videbimus potentiam Dei, quæ vitæ perfectione (quam supra ob insignem excellentiam vocauimus opus proprium Dei) animam inimicam, & à se fugientem, sponsam dilectissimam facit, & in desideria intolerabilia eius, quæ fugiebat, accendit. Cuius hæc est vox interiorum desideriorum index. Quis mihi det te fratrem meū sugentem vbera matris meæ, ut inueniam te foris, & deosculer te, & iam me nemo despiciat?

Quam sint vtilis Ecclesie perfecti.

CAPVT XVIII.



HX his, quæ de hoc eximio perfectionis opere dicta sunt, quisque manifestè cognosceret, quam vtilis sunt Ecclesie perfecti, qui tam præstantissimis donis ex culti beatos illos æternæ patriæ ciues è vicino sequuntur, & alios mortales homines nō natura, sed gratia, non viribus corporis, sed animi robore, ac fortitudine, qua seiplos, & vniuersa tertena vincunt, & regnum cælorū arripiunt, pendē in infinitum excellunt: Nam si in tēporali republica homines nobiles, ac præditi vtilissimi præ alijs iudicantur, quia sunt velut capita, quæ alia membra dirigunt, velut ossa fortissima, quæ mollē carnem plebeiorem hominum fulciunt, atque sustentant, & velut medulla, quæ

A corpus nutriunt, & impingunt, quid sentendum est de illis viris felicissimis, qui in Ecclesia, scilicet in republica Dei, nobilissimi, dirissimi, & immensis bonis ornatissimi censentur: ipsi sunt velut Ecclesie capita, non quia semper Prælati sint, imò sapè propter amorem Domini obediunt, & seruiunt; sed quia in extremo loco positi, & infra pedes aliorum constituti, reliquis etiā Principibus, & Monarchis præminent, & munus capitis, dum alios vita, & exemplo dirigunt, sine vlla dubitatione fulciunt. Ad quod fortassis alludit Dominus cum populo suo mandata seruanti, & sanctitate quærenti, hoc inter alia multa dona promittit: Constituet te Dominus in caput, & non in caudam, & eris semper supra, & nō subter; si tamē audieris mandata Domini Dei tui.] Nam certè Dominus, cuius opera non monstris similia, sed pulchra, & perfecta sunt, in capite non nisi caput, id est, optimum & nobilissimū cōstituet, & ad caudā, non nisi caudam, id est, vilissimū & abiectissimū, alligabit. Vnde constituens in capite perfectos viros, & eos qui eius legem, & mandata custodiunt, eos esse capita, nimirū, qui præcipuum in Ecclesia locum, non externa dignitate, sed vi meritorum obtineant, non obscure demonstrat. Ipsi sunt velut ossa huius mystici corporis, quod Christus supremū caput sua pulchritudine decorat, sua virtute gubernat. De quibus dicit Ecclesia: Auditui meo dabis gaudium & lætitiā, & exultabunt ossa humiliata.] Ecclesie gaudiū, atque lætitiā remissio est peccatorum, quæ eius auditui datur, cum ipsa vidente, & impetrante, fidelibus delictorum remissio confertur. Ossa verò humiliata sunt sancti, ac perfecti viri, qui vera charitate feruentes, de voce Domini, quæ peccata remittit & misericordiam promittit, vehementer exultant. Vnde quidam istorum ossum de seipso dicit: Amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Audit quidem sponsum, vocem sponsi proferentem, id est, vocem miserationis & benignitatis plenam, quæ filiis sponsæ suæ errata condonat, & cum alijs ossibus humiliatis, de huius vocis auditione lætatur. Qui omnes exultantes, & quasi præ gaudio subsilientes, remittenti peccata, & sanctitatē largienti hymnū laudationis decantant. Quod etiam ipsa Ecclesia fateatur, dum ait: Omnia ossa mea dicent, Domine, quis similis tibi? Erripiens inopem de manu fortiorum eius, egenum & pauperem à diripientibus eum.] Quænam sunt ista ossa, quæ Domino remittenti peccata hunc hymnum laudationis concinnant, nisi sancti? de quibus Augustinus ait: Vbi est hoc, quod dictum est? Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur, nisi quia ossa dicuntur in corpore Domini, omnes iusti, firmi, corde fortes, nullis persecutionibus & tentationibus cedentes ad consentiendum malis?] Ista ossa humiliata sunt, quia licet ossa fortissima, tamen modestè de se sentiunt, & numquam de bonis sibi datis in se gloriantur, nec de adepta virtute superbiunt, vel humiliata sunt, id est, persecutionibus, tribulata, & tentationibus afflictā, ut eorum fortitudo probetur, & ex laborum sustentatione noscatur. De istis ossibus Christi dictum est: Os non comminuetis ex eo.] Et ad Iesum cum venissent milites, frægerunt eius crurā;] Vt sic pateat, quod perfecti sunt corporis Christi ossa, quæ istibus persecutionum non cedunt, & mollē carnem imperfectorum suffulciunt. Ipsi tandem sunt medulla, vel potius holocausta medullata, quæ Dauid summo Deo offerenda designat, dum canit: Holocausta medullata offeram tibi, cum incenso arietum.] Sicut profectò holocausta non macilenta, non arida, sed charitate pingua, & deuotione medullata, quæ reliquis Ecclesie membris loco medullæ subseruiunt, quia

Dei. 20.

Pf. 50.

IOAN. 3.

Pfal. 34.

Aug. ad Pfal. 34. can. 1.

Exod. 12. IOAN. 19.

Pfal. 65.

ea exemplo confortant, doctrina impingunt, & orationibus forent celestium donorum impetrantibus madescunt. Afferunt ergo sancta Ecclesia viri perfecti fructus virorum illustrium, atque nobilium, qui eam vitam puritate dirigunt, virtutis robore protegunt, & diuitiarum spiritualium abundantia sustentant.

Sub his bonis alia innumerabilia continentur, que nec pauca verba explicare, nec inerudita mens cogitare sufficeret. Nam quis animo comprehenderet quantas utilitates vnus Abraham suae genti, vnus Moses suo populo, vnus Augustinus, vel vnus Franciscus, vel vnus alius sanctorum toti mundo contulerit? Sicut modicum fermenti totam massam fermentat, ita modicum sanctitatis vni animae praerogatum vnam congregationem continet, & vnam integram plebem illustrat. Et erunt reliquiae Iacob, id est, sancti, inquit vnus ex prophetis, in medio populorum multorum quasi rosa Domino, & quasi flos super herbam, & non expectat virum, & non praestolatur filios hominum. Quid herbae & campis vtilis rore? qui terram irrigans & madefaciens, virorum, & florum, & fructuum est parens, & calore solis adiuuus virgulta viuificat, & foliorum tamquam vestium decore circumdat: sed quid vni populo vtilius sanctis, quorum exempla sunt instar roris, quae cordium ariditatem amendant, duritiem fugant, & sensum emolliunt, vt exteriora componant, flores bonorum desideriorum concipiant, & sanctorum operum fructus effundant? Faenum quidem est populus, ait Isaias, & quasi herba, aut quasi flos agri omnis caro. Hac autem herba, aut flos exemplo perfectorum, quasi rore, & stillis irrigatus, non expectat virum, vt crescat, & oleat, neque praestolatur filios hominum, quia non praemia aut laudes humanas aucupatur, sed solum benedictum Dei, ac praemium verae virtutis exoptat. Quod si iniqui pusillos perfectorum industria conuersos, detractionibus contristat, & persecutionibus lacerent, illi ipsi perfecti, qui bonis sunt tamquam ros immixtus a Domino, malis erunt, vt idem Micheas ait, quasi leo in iumentis siluarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum, qui cum transierit, & conculcauerit, & ceperit, non est qui eruat. Impiis enim perfecti timorem incutient, & in fugam vertent, vt qui accepto bonorum exemplorum rore Deo fructificare iam ceperant, nequaquam a proposito resiliant, sed incepta virtute persistant. Id fecit Paulus, vt Sergium Paulum (a quo itaque ex insignis victoriae trophaeo, cum antea esset Saulus, Pauli nomen accepit) ab Elyma Magi dolis liberaret. Qui cum niteretur Proconsulem a fide in Christum abducere, virtute Pauli caecus effectus didicit, Christum venerit, & eius Apostoli venerari. Et sanctus Apostolus, ros Sergio, & leo Elyma inuictus est, siquidem illum fide madefecit, & baptismo rigauit, istum vero poena multauit, & rugitu terribilium minarum exterruit. In quo & ipse, & omnes alij viri perfecti, Christi saluatoris nostri similitudinem praeserunt, qui a Ioanne in Apocalypsi leo vincens auditur, & mansuetus agnus videtur, quia scilicet boni agni mansuetudine indulget, & iniquos leonis fortitudine reprimat: illos balatu dulcissima vocis inuitat, & istos rugitu seuerissimae cominationis increpat, vt a pusillorum persecutione discedant. Sic perfecti in Ecclesia leonum fortitudine, & audacia malos reprehendunt, & bonos agnorum mititate virtute cupientes, a peccatis auertunt.

Vnus vir similis filio Dei ambulans in medio ignis cum Azaria, & sociis eius, de fornace flammam excussit, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, itant omnino eos non tetigerit neque contristauerit ignis. Et vnus homo perfectus habitans inter eos, qui sunt virtute pusilli, solet in eis suo exemplo & exhortatione concupiscentia ignem extinguere, & ipsos a peccatorum incendio liberare. Quid ergo vtilius ac fructuosius sanctis, qui tum verborum opere moribus peccatorum medentur, & flammam inanium desideriorum extinguunt?

Non solum autem sancti, & perfecti viri exemplo suae vitae purissimae peccata destruunt, sed etiam naturam peccatorum virtutum docent, & sine strepitu vocis alios secum conuersantes in ipsarum amorem atque studium accendunt. Et nescio quo modo humiliter humiles, patiens patientes, & castus castos facit, & dum ipse perfecte viuunt, in reliquorum animos, qui apud se commorantur, desiderium perfectionis immittit. Hi luce perfecta virtutis illuminati, & pulchritudine illecti, ea primo aestimant, deinde amant, postea desiderant, & tandem, quam amore & desiderio digna iudicant, sequi atque imitari gestiunt. Quare Paulus iure optimo viros sanctos orbis luminaria compellat, quorum splendore vident alij iter denium, vt illud desiderat, & rectum, ac in caelum tendens, vt ipsum gressibus bonarum actionum teneant. Omnia, inquit, facite sine murmurationibus & haesitationibus: vt sitis sine quarela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauae, & peruersae, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo, verbum vitae continentes ad gloriam meam in die Christi. Nam quemadmodum sol, & luna, & reliqua caelorum astra, radendo, verbum Dei, & eius virtutem annunciant, vnde legitur, Quia caeli enarrant gloriam Dei. Sic viri perfecti, qui inter infideles, aut inter peccatores, sine occasione nutritionum viuunt, & sine nausea, & tepore (quod haesitantium est) bonum praestant, & sine quarela & reprehensione, vt filij Dei conuersantur, quasi quaedam luminaria caeli verbum Dei in se continent, quod operibus praeserunt, vt alij doceantur, & Dei voluntate addiscant. Sapienter Gregorius quorundam sanctorum virtutes admiratus, eos cum stellis caeli conferre non dubitat. Ecce, inquit, quam fulgentes stellas in caelo cernimus, vt inoffenso pede operis iter nostrae noctis ambulemus. (Nam cognitioni hominum diuina dispensatio quorundam istos exhibuit, quasi tot astra super peccantium tenebras caelum misit, quousque verus lucifer surgeret, qui aeternum nobis mane nunciaret, stellis ceteris clariis ex diuinitate radiaret.) Hunc verum luciferum, siue hunc verum iustitiae solem minores stellae, scilicet reliqui sancti demonstrant, & sicut illa noua stella, quae Magis apparuit, cum ipsum quaretere doceret, a quo luceret virtute mutuant. Quos si vna sequaris, & moribus imiteris, non dubium quin sancte viues, & si cucurris, per bonam vitam ad perfectionem, & ex ea ad amplissimam gloriam peruenies. Ex perfectis itaque alij fideles hanc etiam eximiam vilitatem capiunt, quod ab eorum vita vera & non fucata virtute addiscunt. Vnde perfectorum vita virtutis doctrina est, & multo potentior ac efficacior illa, quam sola quorundam sine operibus verba pronunciant. Licet enim hi vera doceant, & magna eloquentia vi doctrinam diuinae legis aperiant nullo modo in colligendo ex peccatoribus conuersionis fructu, cum illis conferendi sunt, qui opere praedicant & perfectionis exemplo, quo pacto Dei mandata sunt custodienda, breuiter & palam aperiant. Sicut enim vita corporis melius quam in aliis actionibus, in operibus capitis, in oculorum aspectu, in loquendi facultate, & in aliis similibus se ipsam ostendit, at multo magis in motu cordis, quam in aliis elucet: & magis ab eo motu pendet, sine quo vita nec ad momentum stare potest: ita Ecclesiae vita, ac mundi conuersio non parum in doctoribus innotescit, & a praedicatione doctrinae verae dependet, at sine vlla comparatione magis a motu cordis, hoc est, ab exemplo san-

Micheas 5.

Isaia 40.

Micheas 5.

Actus 13.

Apor. 10. Ibid. 5.

Dani. 3.

A

B

C

D

E

Philipp. 2.

Psal. 18.

Greg. prol. moralium. c. 6.

torum,

atorum, & perfectorum emanat, qui cum sint, quasi Ecclesie corda, sancta dilectionis calore alia membra sequentia, ipso suo motu Evangelicæ doctrinæ conformi, manifestè indicat, eam doctrinam nihil impossibile continere, & ab hominibus etiam fragilibus cū auxilio diuinæ gratiæ posse seruari. In doctoribus, ergo, qui solius doctrinæ, & non puritatis vitæ tenaces sunt, & in viris perfectis, qui doctrinam fidei magis vitæ exemplo, quàm verbo proponunt, illud libri Regum in die discussionis impleto videbimus: Saturati prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. Quoniam illi, qui videbatur bonorum spiritualium diuites, & cibo conuersionis animarum repleti, famè huius cibi patientur, cū amarum conuersio suo labori minimè tribuetur, & isti, qui in oculis hominum apparebant pauperes, & fructu proximorum vacui, præter incipientium opinionè diuites erunt, & hoc pretio cibo saturati, cū suo exemplo, & suis precibus conuersio peccatorum imputabitur. Quare si doctores sunt viles, etiam si sola doctrina, & non vita, iter virtutis docerit, qui sola verbi Dei propositio (quæ per se efficax est) solet peccatorum animos immutare, vtiliores erunt perfecti, quorum vita purissima, & oratio efficacissima, aut sola aut verbis sanctissimis comitata, multo potentius conuenit proterua iniquorum corda conuertere.

Ille est præcipuus perfectorum fructus, quæ Ecclesiæ offertur, iniquorum à peccatis abductio, & ad bonam frugem transigratio, & propter hunc non semel in Scripturis sanctis fugiferis arboribus comparatur. Iustus enim, inquit, Dauid, erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Et Ieremias penè eisdem verbis ait: Erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod ad huiusmodi mittit radices suas, & non timebit cū uenerit ætus. Et iustus regius propheta ait: Iustus ut palma florebit, sicut cedrus libani multiplicabitur. Et de seipso dicit: Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei. Et Bernardus putat sensum Scripturæ historicum hortum nuncupari, quoniam in ea inueniuntur, inquit, viri virtutum tamquam ligna fructifera in orto sponsi, & in paradiso Dei, de quorum bonis actibus, ac moribus, quot sumis exempla, rot carpis poma. Ideo itaque ligna dicuntur, & ligna fructifera, quia bonis operibus sicut fructibus onerantur, quibus & sibi metipsis honorem verum, & gloriam nunquam perituram mereantur, & à cordibus peccatorum tamquam ligna vitæ mortem iniquitatis depellunt. Ideo oliuæ, & cedri nuncupantur, quia dū ad modum oliuarum misericordiam oleum in alios effundunt, ad modum etiam cedrorum impuribiles manent, & nulli in seipsis ex cura, & labore exteriori detrimentum sentiunt. Hedera illa lonæ à verme percussa statim exaruit, quia arbuscula imbecillis erat, nullo robore ad resistendum suffultra; at nostræ arbores neque à verme inanis gloriæ, neque ab alio corroduntur, quæ humilitatis & modestiæ impuribilitate adornatæ, Deo honorè, & proximis fructum edunt, & sibi gloriam vanam non assumunt. O arbores proceræ, atque robustæ, quæ peccatorum ictibus aut vitiatorum moribus se non subdentes, non tantum in Ecclesia fructificant, verum etiam sua proceritate, & robore infirmos sustentant. Si enim milites, ut seipos in castris tueantur, solent ea arboribus cingere, quæ terræ affixæ, & inter se contextæ possunt vicem muri, & antemuralis subire, quid mirum, si Dominus, omnium fidelium dux, castra Ecclesiæ suæ perfectis viris quasi firmis arboribus cingat, qui & fidelibus à cuneis hostium oblecti fructus sanctorum explorari tribuat, ne in oblatione fame pereant, & hostes ipsos, ab ingressu in castra, velut muri fortissimi impediunt? Non

1. Reg. 2.

Psal. 1.

Iere. 19.

Psal. 91.

Psal. 51.

Bern. ser. 23. in cant.

Iona 4.

A multum est hoc, nam sancti, qui aduersus Deum fortes sunt, quanto magis contra demones praualebunt. Sunt, inquam, fortes aduersus Deum non potentia vi, sed amoris virtute, quia cum in peccatores indignatione commotum precibus fleant, & orationibus placant, ne in morte dignos, mortis inflictione desinat. Verissimè namque dixit Chrylостomus: Vnus homo rectè viuens populum integrum eripere potest ab ira Dei. Ciuitas autem integra peruersaque, in suam pœnam ac supplicium attrahere bene viuentem, & desicere non potest. Et hoc de Noe manifestum. Perentibus enim omnibus solus seruatus est. Et de Mose clarum est, solus enim potuit toti populo impetrare veniam. Quod iam amplius vtilitatis à viris perfectis desiderare possumus, qui quasi omnipotentiores effecti, diuinæ iræ resistunt, & vice ita beneficia miserationis inducunt? Sed aliquid his, quæ diximus, & certè mirabilius posset addi, quod etiam Chrylостomus annotauit, viros scilicet perfectos vita sanctos plus quàm cum viuere apud Deum valeant, & iam ex hoc mundo translatos, maiora hominibus beneficia reportare. Ad Ezechiam enim dicit Dominus: Protegā urbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum. Et Azarias apud Danielè orat in huc modum: Ne quæsumus tradas nos in perpetuum propter nomen tuum: & ne dissipet testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tuum. Hoc autè idèd, quia licet sancti iter humanæ naturæ ingrediantur, & corpora apud nos iterum resumenda deponant, non tamen secundum animam (quæ immortalis est) mortui sunt, sed viuunt ei, cui omnia viuunt. Viuunt, inquam, & regnant coram Deo, & apud Deum tam sunt potentes, ut omnia impetrè, quæcūque cupierint omnia in nobis faciant, quæcumque poposcerint. Vnde post mortem nobis vtiliores sunt, quia potentiores, quia Deo præsentiores, quia omnium bonorum auctori magis amore & sanctitate coniuncti. Pater si præmoriatur, aut filius, aut frater, aut amicus statim nobis inutilis inuenitur, quæ ut nulli vsum proficuum, post non multas horas terra contegimus, imò & sapè penitus obliuiscimur: At sanctum hominè, & illi extraneum, & nobis vix cognitum vtilem, rebus nostris esse censemus, cuius indumenta suspicimus, cuius reliquias argèto, & auro, & lapidibus pretiosis circūdatas asseruamus, cuius orationem & auxilium ambimus.

D Sed ex his, quæ hæcenus dicta sunt, alia sanctorum vtilitas, quæ mudo profertur, manifestè colligitur: quæ licet sit prædictis inferior, quia ad corpus pertinet, non tamen est à nobis silentio tegenda. Ea autem est, quod bona temporalia hominibus afferunt, & miseria calamitatè que depellunt. Huic rei testimonium perhibet nomen ipsum sanctorum, quos scripturæ morem sequentes, nubes appellare consueuimus, non solum quia pluuia salutarem doctrinam, & adificationis proferunt, sed etiam quia nos ab actu tribulationum protegunt, & bona temporalia, interdum si vtilia ad salutem sunt, interdum si non inutilia, ad vsum nostros impertiunt. Qui sunt isti, inquit, Iaias, qui vt nubes volant, & vt columbæ ad fenestras suas. Et Paulus: Ideoque & nos tantam habentes impostam nubem testium per patientiam curamus. Vt nubes quidem volant illi, qui vitæ puritate columbæ sunt, tum vt pluiam doctrinæ perferant, tum vt nos, ne feriamur in tempore flagellorum operiant. Hanc testium nubem, siue hos testes, qui sunt nubes lucidæ, & Solis radiis ferientibus pulchræ coram oculis positas habemus, vt ex illis lucem veritatis accipiamus, & ab omni malo quod impedimento esse posset, protecti per patientiam & alias virtutes ad brauium aternæ

Chryl. homi. de penit. & confessione Tom. 9.

Gen. 7.

4. Reg. 19.

Daniel. 3.

Iai. 60. Hebr. 12.



Miche. 7.

vocationis festinamus. Perhibet & testimonium Micheas, qui per mysterium ad animam perfectione dandā, sic ait: Dies, vt edificentur maceria tua: In die illa longē fiet lex, In die illa & vsque ad te venient de Assur, & ad ciuitates munitas: & à ciuitatibus munitis vsque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte. Dies, inquam, venient, o anima, vt tu per peccatum solo aquata, per iustitiam extruaris. Dies venient, in quibus leges saculi, quas tanta diligentia seruabas, longē sint à te, nec deinceps illis subdaris. Et nunc Babylonij, hoc est, homines, qui in saculi confusione habitant, quarent te, vt illis opem ac patrocinium feras. Et meritò quoniam tu & alia perfecta animæ eris tanquam ciuitates munitæ, & tanquam Iordanis, & tanquam maria & montes, quæ terrā promissam terminabant. Intra vos enim, velut intra regionis securæ terminos, putabunt se tutò quiescere, & ab omni malo liberari. Magnificæ sunt promissiones istæ, quæ opem toti mundo à perfectis præstari manifestè declarant. Attestatur tandem huic rei ipsa summa veritatis historia. Nā si perfectus est Dauid, è sinibus Israel pestilentiam fugat. Si perfectus Elias, cataractas cæli aperit, & famē depellit. Si perfectus Elias, ciuitatē ab aqua salubris penuria liberat. Si perfectus Ezechias, angeli ministerio, què precibus impetravit, innumerabiles hostes proternit. Si perfectus Iacob, substantiam Laban socii sui miraculo auget: Ipso Laban verbis patientibus confirmante: dixit enim, Experimento didici, quia benedixit mihi Deus propter te. Si perfectus Onia, pacem in summa temporis varietate Hierosolymæ affert, & gazas templi ab iniuria vindicat. Et sic sunt multa alia & ingentia beneficia in sacris scripturis, hominibus ope & oratione perfectorum allata, quæ longum esset in mediū afferre. Tempus autem me deficeret, si vellē bona temporalia numerare, quæ Dominus in nouo testamento perfectorum gratia mundo præstitit. Sed hoc argumentū omitam, his, qui in enarrandis sanctorum historiis multum pij laboris, & operæ posuerunt; ego enim in his libris non nisi rarissima exempla, & illa grauissima prælibate disposui. Vnum tamē sanè mirabile de Iacobo Nisibis siue Antiochiæ Migdoniæ episcopo, à Theodoro commemoratum, nō præteribo, quod quantum apud Deum perfecti valeant, & possint, perspicuè demonstrat: & lepida res huic loco finem imponet. Erat Nisibis vrbs Romanorum ditioni subiecta, quam Sapores Persarū Rex fortissimis copiis militum obsidebat. Eam ad septuaginta dies obsessam, cum variis machinis, ac multis bellicis instrumentis tentatam expugnare nō posset; tandem alueo fluuij per mediam vrbe[m] labentis, factis longo intervallo supra vrbe[m] obstructo, & ripis ad ingentem altitudinem exaggeratis, & tota illa aqua præcipiti cursu in murū imiecta, murū per duas partes, per illam scilicet, qua aqua ferebatur, & per contrariam, qua erumpebat, facili negotio subuertit, & viam ingrediendi suis militibus patefecit. Latabatur barbarus, ac si iā vrbe[m] subdidisset, ac expectabat tantisper, donec inundatio cœnosa aquæ aliquatūlū exaresceret, & flumen ingressuris vadum nō negaret. In hoc extremo discrimine non defuit sanctus Iacobus episcopus ciuitati suæ, qui intra sacrum templum delitescens, vno tantum die precibus murum edificauit, ciuitatem munivit, obfessos iam penè exanimis animauit, & in ipsum ac culicem copias in Persas immisit, qui sicut olim Ægyptios, vniuersum exercitū deiecerunt, & à sinibus illis fugarūt. Quod vna ciuitas armata, & ad defensionem parata, nec somnare potuit, vna precatio Iacobi impetrare & cōplere potuit. Ex quo, quanta sit vnus perfecti viri

2. Regū. 24.

3. Regū. 18.

4. Reg. 2.

4. Regū. 13.

Gen. 30.

Machab. 13.

Theodor. lib. 2. hist. c. 30.

A | potentia, & quantum plebi proficere possit; clarè cognoscimus, qui sola orationis vi restituit rem, & vires naturæ superauit. Et oculis ipsis cernimus illud Apocalypsis implerum. Qui viderit, faciam eum columnā in templo Dei mei. Nam iste beatus episcopus, qui primum seipsum vicit, innumerabiles hostes vicit, & columna suorum factus, eos in calu sustinuit, in impetu inimicorum protexit, & populum desperatum ab ineuicibili calamitate potèter eripuit. Præclarè igitur Ambrosius hoc discrimen inter iniustum iustumque constituit, quod ille inutilis mundo est, hic verò proficuum, & utilis. Inustus, inquit, & alius inutilis & sibi noxius. Iustus autem vita fructuosa alius, sibi dulcis. Dicit enim Salomō: Fili, si sapiens eris, tibi sapiens eris & proximis; si autem malus euaseris, solus hauries mala. Aduertimus ergo quia iustitia alius est potius nata, quam sibi. Commune cōmodum, non suum expectat, & alienum bonum pro suo ducit emolumento. Beata est præclara iustitia, cuius bonū omnibus proficit. Ex vno plerumque proficiscitur, atque ad omnes peruenit. In iustitia itaque infamiam fugiamus, quam tãquam nullius vtilitatis vniuersus mundus derelictur, & veram iustitiā appetamus, quā omnes, vt sibi vtilissimam, diligunt, suspiciunt, concupiscunt. Si enim, vt quidam dixit, amabile quidem bonum, vniuersique autem proprium, quis perfectionem non amabit, quam in alio positam sibi vilem esse cognoscit?

Apo. 3

Ambr. ad P sal. 75.

Pro. 9.

Arist. 1. Ethico.

C
De pulchritudine animæ perfectæ.
C A P. XIX.



Hoc est opus sapientiæ Dei, quod opera sua vtiliora, etiam pulchriora fecit, & maiore decore circūdedit, vt maior pulchritudo, quæ incredibilem vim habet ad mouendum, ad capiendā maiorē, ex re pulchra, vilitatem alliceret. Sic cœlestia, quæ vtiliora sunt, pulchritudinis forma præstant terrestribus, & inter res terrestres, illa magis decore eminet, quæ maiori vilitate decorantur. Nam (vt à cœlestibus incipiamus) illi supremi spiritus, quo potiora mundi gubernant, & ad maiora munera destinantur, eo perfectiores & sublimiores sunt, & eo ipso pulchriores, in quibus natura perfectio, & substantiæ pulchritudo eandē magnitudinis menturam accipiunt. In quod omnis nostra ratio conspirat; quia sicut Archangelos præstare Angelis, & Principatus præstare Archangelis natura perfectione cognoscimus, ita pulchritudine superare sentimus. Si autem ad terrestria contemplatio nostra descendat, hominē (si forsā is in rebus terrestribus numerandus est, qui mentem habet cœlestem, & cogitationes, ac desideria sēper debet habere cœlestia) vtilissimum simul, ac pulcherrimum omnū reperiet. Vtilissimus quidem est, quia vniuersarum rerum vtilissimum rector, & Dominus, quātū bonum est homini famulari, & ab eo in suam vilitatē rescisci. Et simul etiam pulcherrimus, quia supra terrena se exrens, ipsa natura cum diuinis spiritibus cognationem habet. Cui externa quoque corporis forma pulcherrima à Deo facta est, vt splendidissimū iubar mentis contineret, & volūtatē in fedā & deformia labantem, & internam formam conspurcantem, non verbis, sed rebus ipsis increparet. Reliqua verò terrestria, quò maiori cum homine cognatione constāt, eò fructuosiora sunt, & illustriori decore nitent, quo aut insipientes, aut possidentes ad maiorem ipsorum estimationem inuitant. Quis enim non videt animalia

perfecta

perfecta, pulchriora esse animalibus imperfectis, quæ nec perinde atque illa membrorum distinctione fulgent, nec coloris suavitate, nec morus viuacitate replendent? In perfecta verò animalia, arboribus & plantis quæ viuunt, nec sentiunt, formosiora sunt, quia ipse sensus vitæ coniunctus sicut perfectionem addit, ita cum pulcherrimus sit, & omnium rerum sensibilibus decore formetur, ampliore speciei dignitatem cõcedit. At arbores & plantæ (si non eas hominum cupiditate, sed cognitionis veritate metiamur) aurum etiam, & argentum, ac margaritas, lapidesque pretiosos pulchriores formæ nobilitate præcellunt. In illis enim ramorum, velut membrorum varietas, foliorum diuersitas, venarum subtilitas, florum lenitas, & fructuum suauitas multo magis oculos videntium inescat, quàm gleba auri vel argenti, aut aliquid margaritum corda cupidorum infatuat. Qui non tam metallorum pulchritudine, & gemmarum, ac lapidum pretiosorum luce capiuntur, quàm immoderata cupiditate tenentur. Quæ si à cordibus propriis abscinderet, multo magis ex aspectu vilis arbutule, quàm ex aspectu metallorum in creatoris contemplatione assurgeret; & melius in illa, quàm in istis Dei pulchritudine delineatã videret. In rebus itaque creatis vtilitas, & formositas parifestatione currunt, & quod illa proficiendo accessit, ista admirando peruenit. Quod si hæc ita sunt, certè perfectorum animæ, quæ toti mundo vtilissimæ sunt, etiã pulcherrimæ existunt, vt ingenita pulchritudine peccatorum animos in admiratione, & amore rapiat, & iniquitatis sordibus pollutos ad sui imitationem accendant. Hanc nunc sanctarum pulchritudinem animarum inquiramus, & nihil, quod Deus non sit, aut pulchrius, aut illustrius, aut splendidius inueniemus.

Pulchritudo quidem naturalis magna est, siue ad res corporeas, siue ad spirituales spectet, sed supernaturalis pulchritudo sine ulla mensura maior, quæ in motibus sanctissimis, in bonis actionibus à gratia, & libera voluntate profectis, & in donis cœlestibus, infusis à Deo donorum omnium auctore cõstitit. Sicut enim illa in partium integritate, in membrorum recta dispositione, ac in eorum debita proportione sita est, ita hæc in virtutum cõgerie, in morum suauitate, & in actionum optima cõstitutione collocata, quæ non oculis corporalibus placeat, sicut illa, sed oculis spirituales, qui proprii sunt Dei, & Angelorum, & hominum sapientium oblectet. Hæc autem animæ perfectæ inesse perspicuum est, cuius perfectio ex omnibus virtutibus, itaque ex spiritualibus membris cõponitur, & ex optimis moribus, & puris actionibus, cõstituitur. Pulchritudo hæc omnium vitiorum ac peccatorum deformitatem destruit, & minimos quosque, nauos imperfectionum excludit. Quia licet pro huius vitæ fragilitate interdum aliquos contrahat: tam è vestigio diluit, dum leuia peccata, & modicas imperfectiones non leui cõpunctione cordis, nec modica carnis maceratione castigat. Ita verò assidua bonorum operum exercendorum cura, & studio puritatis augetur, vt Dominus ipse pulchritudinis auctor, animam hæc formositate circudatã, planè decorat, & pulchram ac suo amore dignam fateatur. Ecce tu pulchra es, inquit, amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum.] Ecce, vox admirantis est, & re noua subitamque demonstrantis. Quam magna igitur erit illa pulchritudo quæ ille, qui lumem pulcher est, & cum pulcherrimis spiritibus commoratur, & nulla passione vincitur, veluti quadam admiratione, & stupore cõmendat: Et quàm noua pulchritudo, id est, nulla veteris hominis vetustate scordata, sed semper vitæ, semper iuuenili flore vestita, quam ille, qui falli non potest, vt noua recentemque demonstrat: Et quàm denique improuisa, cuius miser homo terrenis desideriis affuetus, nullam rationem habuit, sed Do-

Cant. 1.

mino vocatè, inuitante, & cogente cõcepti? Anima sanè perfecta hac noua, & eximia, & à se non nata pulchritudine ornata, non semel tantum, sed bis pulchra appellata est, vt hæc vocis geminatio magnitudinem formositatis astruat. Bis pulchra vocatur, quia pulchra est in fuga omnis mali, & pulchra in desiderio, & prosecutione boni, pulchra dum ad seipsam ingreditur, & pulchra dum ad exteriora progreditur: pulchra dum amore cõplectitur Deum, & pulchra dum ex charitate diligit proximum: pulchra dum sectatur suipsius puritatem, & pulchra dum sancta & pura existens, non deserit humilitatem. Profusus in omnibus pulchra, quæ siue ea, quæ ad se pertinent, curet, siue in his, quæ ad proximos attinent, occupetur, semper Dei oculis, qui omnino falli non possunt, pulchra videtur, pulchra diligitur, pulchra prædicatur. Nec tantum iudicio Domini tota spõsa, veluti vno intuitu cõsiderata, pulchra est, dum audit aliquando magno feruore purgata. Tota pulchra es amica mea & macula non est in te,] sed singulæ quoque eius partes de singulari pulchritudine cõmendantur. Nã & oculi tui, inquit, colubarum,] in quibus elucet modestiæ, & simplicitatis, & ad cõruenda cœlestia cuiusdam eximie perpicacitatis insignia. Et pulchra sunt genæ tuæ, sicut turturis; collum tuum sicut monilia;] in genis duplex verecundia de malis præteritis, & de bonis præsentibus, designatur, de malis præteritis, quia spõsa displicuerit; & de bonis præsentibus, quia modica sunt, & pro malis non satisfecerunt. In collo verò discretio metis omnia moderantis exprimitur, quæ externis ornamentis non indiget, quia omnium ornamentorum pulchritudine vincit. Et quàm pulchra sunt mammae tuæ soror mea spõsa, pulchriora sunt vbera tua vino,] quoniam, vt ait Gregorius, charitate erga Deum seipsam pascit, & dilectione proximi fratres enutrit, & vtriusque vberis lacte vini suauitate excellit.] Et, quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. In gressibus perfectæ animæ opera demonstrantur antiquorum sanctorum auctoritate protecta, & ad eorum normam efformata, quibus anima in sponsum perorat, & ad eius imitationem anhelat. Longum esset omnia huius cantici encomia retexere, satis sit dicere sponsum nullam huius anime partem illaudatam relinquere, quo ostendat sponsum in omnibus esse pulchram, & super omne, quod posset explicari, decoram. Quam si ea claritate internis oculis cerneremus, quæ exteriora oculis corporeis aspicimus, incredibilem sui amorem ingereret, & supra modum admirationis affectum excitaret.

Dominus verò testis pulchritudinis animæ omni exceptione maior, minimè hac laudatione contentus, qua animam & omnes eius partes pulchras appellauit, aliam maiorem laudem addit, dum eam non solum pulchram, sed pulcherrimam vocare non metuit. Adolescentula enim non à seipsis, sed ab sponso spiritu edocta hoc sermone animam perfectam interrogat: Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum, quia sic adiurasti nos?] Et iterum, Quod abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum, & quæremus eum tecum?] Merito verò spõsus pulchra & adolescentula pulcherrimam vocant hanc animam, quæ perfectionis cliuim ascendit, quia coram sponso est pulchra, & decora, & adolescentularum, id est, animarum imperfectarum cõparatione, quas longo intervallo post se relinquit, non iam solum pulchra apparet, sed etiã pulcherrima. Tres illæ filia Iob, quas post pressuras, & calamitates, iam prosperitate postus genuit, vniuersas suæ ætatis mulieres externa corporis forma superarunt. Non enim sunt inuenta mulieres speciosæ sicut filia Iob in vniuersa terra. Hoc mysterium est animarum sanctarum, quas Christus per passionem, & mortem generauit,

Cant. 4.

Cant. 1.

Cant. 1.

Cant. 4.

Greg. in cant. 1. 4.

Cant. 7.

Cant. 5.

Iob 42.

nam

Greg. lib.
35. mo. c.
23.

Psal. 44.

Cant. 3.

Ber. form.
27. m. c.

Osee 14.

nam interna venustate communes animas etiam iustorum ita præcellunt, ut iure dicatur nullas alias in vniuersa terra similes reperiri. Quod Gregorius palam animaduertit, in hunc modum scribens: Electorum animæ omne humanum genus, quod in terra secundum hominem conuerfatur, suæ pulchritudinis decore transcendunt: quântoque se exterius affligendo despiciunt, tantò seuerius intus componunt: Hinc est enim, quod sanctæ Ecclesiæ, quæ electorum pulchritudine decoratur, per psalmistam dicit: Concupiuit Rex speciem tuam.] De qua paulò post subiicit: Omnis gloria eius sicut regis ab intus.] Nam si foris gloriam quæreret, intus speciem, quam rex concupisceret, non haberet.] Nec mirabile est, quòd anima perfecta aliis imperfectis animabus comparata, non tantum pulchra, verum & pulcherrima iudicetur, quæ quodammodo inter ipsos cœlestes ciues pulcherrima quoque reputatur. Si ipsis quippe non videretur pulcherrima, non eam admirarentur, dicentes: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatis myrrha, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? Quo pacto non erit pulcherrima, quæ per desertum huius sæculi, in quo tot sunt laquei, & tot decipulae, non volutatur, sed ex miseris eius occasiones proficiendi carpit, & quasi per gradus scalarum conscendit? Quidni pulchra sit, quæ in tam stupenda mundi victoria, non sicut cedrus, aut palma de sua impubilitate, aut victoris se glorians, sed sicut virgula fumi humillima scandit, & nihil nisi humilitatem in omnibus præfert? Quæ mortificationis myrrha, & orationis thus, & vniuersarum virtutum odores præseruant, & pulchritudines ornant, meritò angelici spiritus ut pulcherrimam laudant, & admirantur. Hæc comparatione Angelorum pulchra est, quia ipsorum puritatem, & sanctitudinem æmulari, & comparatione eorundem etiam pulcherrima est, quoniam illi in pace, ista in bello; illi in patria, ista in exilio; illi inter flores, ista inter titiones pulchritudinem seruat, quam bello quæsiuit, & tentationum victoria parauit. Denique, ut ait Bernardus, vnum Deum adorat, & colit, quomodo Angeli: Christum super omnia amat, quomodo Angeli: casta est, quomodo Angeli: id quæ in carne peccati, & fragili corpore, quod non Angeli quærit postremò, & sapit, quæ apud illos sunt, nõ quæ super terram. Quod euidentius cœlestis insignie originis, quàm ingentiam, & in regione dissimilitudinis retinere similitudinem, gloriæ vitæ cœlibis in terra, & ab exule vsurpari in corpore denique; penè bestiali viuere Angelum? cœlestis sunt ista potentie non terrenæ, & quòd verè de cœlo sit anima quæ hæc potest, aperte indicantia.] Perfecta ergo anima omnem rem creatam pulchritudine superat: terram, quia virentibus est virtutum floribus, & fructibus sanctarum actionum ornator: mare, quia sine vlla insuauitate honestatis perspicuitate fulgètia: ærem, quia solis iustitiæ radiis facta lucidior: ignem, quia flammis charitatis potentior: cœlos, quia micantibus donis tamquam astris vultor: homines alios, quia Dei, & proximi amore perfectior: imò & Angelos ipsos, quos si non magnitudine sanctitatis vincit, tamen sanctitatis qualitate præcellit. Illi enim sine labore palmam sanctitatis acceperunt, hæc verò non sine magnis laboribus, & gloriosis de hoste victoriis ad perfectionis fastigium euolauit. Ego, ait, Dominus cum viro perfecto loquens, exaudiam, & dirigam eum ego, ut abietem virentem, ex me fructus tuus inuentus est.] Qui in tēpore tribulationis se iusti orationes exauditurū promittit, utiq; tribulationes, & pressuras deprecanti euenturas denunciat. Qui, ut abietem virentem facturum, aut directurum est eum, utiq; tenta-

A tionum & laborum æstus irrupturos insinuat, à quibus perfectus vir non superatus, ramos virtutum expandat, & fructus cœlesti gratia dignos feret, & abietis virentis pulchritudinem in se gestabit.

Vide iam quàm pulchra est perfecta anima, quæ vbiq; pulchra est, omni ex parte pulchra est, & omnium creaturarum pulcherrima est. Prorsus sponso suo Christo omnino similis: qui vbiq; pulcher, & omni ex parte pulcher esse cōspicitur, & ipse speciosus forma præ hominum filiis agnoscitur. Ipse vbiq; pulcher est, de cuius pulchritudine hæc Augustinus scribit. Nobis ergo iā credentibus, vbiq; sponfus pulcher occurrat. Pulcher Deus, verbū apud Deum, pulcher in vtero virginis, vbi non amisit diuinitatem, & sumpsit humanitatem. Pulcher natus infans Verbum, quia cum esset infans, cum sugeret, cum manibus portaretur, cœli locuti sunt, Angeli laudes dixerunt, Magos stella direxit, adoratus est in præsepi, cibaria animalium mansuetorum. Pulcher ergo in cœlo, pulcher in terra, pulcher in vtero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher inuitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher deponens animam, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro, pulcher in cœlo, pulcher in intellectu. Audite canticum. Neque oculos vestros à splendore pulchritudinis illius auertat carnis infirmitas. Summa, & vera pulchritudo iustitia est. Ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehendes iniustum. Si vbiq; iustus, vbiq; decorus.] Ita anima perfectionis auida vbiq; decora. In oratione decora, nam ipsi pulchritudini, scilicet sponso, coniungitur: & in actione decora, quia nequaquam eius clamore distrahitur. In prosperitate decora, quia in ea præ humilitate se deicit, & in aduersitate decora, quia in sponso protegente confidit. In consolatione decora, quia eam non ad voluptatem, sed ad profectum quærit; & in desolatione decora, quia eam aut ad pœnã quotidianorum defectuum, aut ad probationem admittit. In vita decora, quia singulis momentis Deo placere nititur; & in morte decora, quia si corpus pallore vestitur, ipsa pulchritudinis, & splendoris perfectione decoratur. Et quia in omni loco perfecta est, in omni etiã loco pulchra est, quia perfectio non aliud est, quàm ipsissima animæ pulchritudo. Christus etiã omni ex parte pulcher depingitur, cuius caput, id est, diuinitas auro optimo, cuius coma, scilicet cogitationes elatis palmarum, cuius sapientiæ oculi columbæ luminibus assimulantur: cuius genæ modestiæ ac mansuetudinis, areolis aromatum; cuius labia, arbori myrrham mortificationis distillant; cuius manus, scilicet, opera, rebus affabre cōfectis, & auro, & hyacinthis plenis comparantur: cuius misericordie venter, qui nos gestauit, cum ebore sapphyris ornato, cuius fortitudinis crura, cum columnis marmoreis super bases aureas fundatis, cuius perfectiones speciei nomine comprehensa, cum Libano, & Cedris conferuntur. Sic anima perfectione amans omni ex parte decora est, & pulchra. Nam habet caput, id est, intentionem rectam, comas, nimirum cogitationes puras, oculos fidei simplices, genas modestiæ verecundas, labia, id est, verba prudentia, manus opera designantes mundas, ventrem honestate integri, crura, scilicet, virtutes fortes, & totam interiorem speciem mirabili quadam maiestate circumdata. Christus tandem est pulcherrimus omnium hominum, imò & omnium Angelorum, quia fons pulchritudinis eorum, à quo tamquam riuus, à fonte vniuersa sanctorum pulchritudines manant: Qui speciei suæ, & pulchritudine suæ, quæ penitus imitaculatus est, in purificationem animarum intendit. &

Psal. 44.

Aug. com.
in Psalm.
44.

Cant. 5.

Psal. 44.

in hoc negotio prosperè procedit, & regnat. In quo perfecta anima non est illi dissimilis, quæ animas minus perfectas sanctitate superans, & ad quærendam maiorem pulchritudinem verbo & exemplo iuuant, eo ipso se magis pulchram, & decoram ostendit. Nihil ergo perfecta anima pulchrius, quàm sponsus amat, quam sponsi amici laudant, quam adolescentula pulchriorem prædicant, quia ab imperfectorum defectibus alienam inveniunt.

Hæc sanctitatis pulchritudo, qua anima perfecta honestata est, non à corporis integritate, aut sanitate dependet, imò in corpore exhausto, & membris fatiscèntibus clariùs emicat, & perfectiùs elucet. Cùm infirmus ait Paulus, tunc potens sum.] Et postea dicit: tunc pulchrior sum: quoniam pulchritudo virtutis molestia corporis non evanescit, sed amplius cumulat, atque perficitur. Non defuit, qui scriberet;

Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.

Sed merito illum Seneca reprehendit. Errare mihi visus est, inquit, qui hoc dixit. Nullo enim honestamento virtus eget: ipsa, & magnum sui decus est, & corpus suum consecrat.] Et statim: Potest ex caesa vir magnus exire, potest & ex deformi humiliq; corpuscule, formosus animus, ac magnus. Quosdam itaque videtur mihi in hoc natura tales generare, vt approbet virtutem omni loco nasci. Si posset per senudos edere amicos, fecisset: nunc, quod amplius est, facit: quosdam enim edit corporibus impeditos, sed nihilominus perumpètes obstantia.] Hæc sola ratione instructus, fide vacuus scripsit. Tanta est enim perfectæ virtutis splendor, vt modico etiam rationis naturalis lumine videatur, & à corporis venustate nequaquam pendere iudicetur. Quod si à corpore corruptioni obnoxio, non pendet hæc vera ac perfecta anima pulchritudo, relinquatur, quod sit ipsa æterna, atque perpetua, quæ temporis decursu non arescat, sed magis floreat, & luceat, & in dies feruore deuotionis & meritis aucta splendidiore & mirabiliore appareat. In quo sapienter Bernardus eam à pulchritudine corporali fecernit. Sed est, inquit, rationalis quadam sponsæ species, spiritualisque effigies, ipsaque æterna; quia imago æternitatis. Decor eius, verbi gratia, charitas est; & charitas, sicut legitis, numquam excidit.] Est certè & iustitia: & iustitia eius, inquit, manet in sæculum sæculi.] Est etiam patientia; & legitis nihilominus: quia patientia pauperum non peribit in finem.] Quid voluntaria paupertas? quid humilitas? Nonne altera regnum æternum, altera æquè exaltationem promeretur æternam? Eò quoque spectat, & timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi. Sic prudentia, sic temperantia, sic fortitudo, & si quæ sunt virtutes aliæ, quid nisi margaritæ sunt quadam in sponsæ ornatu splendore perpetuo coruscantes?] Sicut ergo ista virtutum proportio, & donorum apta connexio, numquam in anima iusta corrumpitur, ita numquam pulchritudo eius interit, sed semper nouis incrementis aucta durat, donec ad illum æternum decorem, & decorum splendorem accedat, in quo nulla iam erit pulchritudinis accretio, sed summa & æterna perfectio. Cùm autem hæc animæ pulchritudo perpetua, & corruptionis experta sit, non, aspicientes, sicut pulchritudo corporis, ad lasciuas voluptates aut ad opera corruptionis pellit, sed ad omnem virtutem & sanctitatem instigat. Hanc cùm attentè contemplamur, non illicitos corporis motus, nec impudica desideria, quæ frænemus, sed sanctas cogitationes, & purissimos charitatis affectus, & ineffabiles Deilaudes, quibus iugiter calcætia adiciamus,

2. Cor. 12.

Seneca
epi. 66.

Bern. ser.
27. in ca.

1. Cor. 13.

Psal. 111.
Psal. 95.

manifestè experimur. De pulchritudine corporis dictum est. *Pepigi scædus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.*] De pulchritudine verò animæ quid dicitur? Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere vt intrucamur te.] Ab illa oculos auertimus, quoniã nos vinculis concupiscentiæ constringit, & à cœlesti regno repellit. Si enim cogitarem de virgine, quam partè haberet in me Deus desuper, & hæreditatè omnipotens de excelsis! In istam oculos securè desigimus, quoniã ad pugandum cum diabolo, & ad virtutis victoriam reportandam prouocat. Quid namq; videbis in Sunamite, nisi choros castrosum, bonorum scilicet operum cuneos, qui te adiuuent, & animos ad pugnam iniiciant?

O quam immensum profunum lacrymarum huius cõtemplatio pulchritudinis è nostris oculis elicere deberet, quippe qui ab iniquis, & peccatoribus in desiderio & studio assequenda pulchritudinis vincimur. Illi enim corporis formositatem cras periturã, & in fætorè & vermes destituta, tanto conatu, & mentis sollicitudine quæunt, quantam nos in comparanda animæ pulchritudine semper duratura, & æterni gaudij præmium acceptura, nulla ratione collocamus. Illi mundi, compiti, & ornati procedunt, vt oculis mortaliu placeant, & seipfos quæsitã pulchritudine oblectent, & nos scædi, inculti, & nudi incedimus, nec Dei oculis placere, ac nos ipsos vera pulchritudine extornare curamus. In quo quanta sit nostra negligentia, & quanta iusti moris causa, sanctissimus Nonus Episcopus Heliopoleos grauissimis verbis aperuit. Is enim, cùm semel Antiochiæ ad fores basilicæ sancti Iuliani Martyris cum Patriarcha Antiocheno, & Episcopo illi subiectis, confedisset, & Pelagiam, tunc perditissimam meretricem, postea verò sanctissimam feminam, compram, & auro, ac gemmis ornata nec non feruis, & ancillis cõstipatam, transeuntem vidisset, oculis in eam, non ex lasciuia, neque ex curiositate, sed ex magnitudine compunctionis coniectis, & postea cum magna lacrymarum & singultuum vi in terrã demissis, ita ad alios Episcopos loquutus dicitur. Nonne affectit vos huius femina tantus decor, tantaque venustas, nec delectati estis tanta eius pulchritudine! Illi quæcentibus, ceptum stertum proferebant, hæc verba subiecit: Ego mirificè hanc feminam videndo delectatus sum. Ecce enim omnipotens Deus hanc femina statuer coram admirabili & tremèda sede sua, ex ea tam nos, quàm munus, & ministerium nostrum iudicaturus. Quot enim putatis horas expendit hæc mulier, dum in cubiculo suo se lauat & componit, & omnem animi curam, & cogitationem adhibens ad ornandam sese, ne quid possit in ea decoris & pulchritudinis desiderari, vt placeat omnium oculis, nec deformis vlla ex parte videatur amatoribus suis, qui hodie sunt, cras fortassis nusquam erunt? Er nos habentes patrem omnipotentem in cœlis, Dominum immense maiestatis, sponsum immortalem, in quem desiderant angeli prospicere, cuius pulchritudinem Sol, & Luna mirantur, amplissima reponentem præmia, ipsi fidem integram seruauimus, & ad eius voluntatem, ita vt par est, sese accommodantibus, diuitias, & honores immensos in cœlis, denique ea, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, liberaliter, & prolixè promittentem, nihil studemus ornandis miseris animabus nostris, neque sordibus detergendis, culpisque, quibus animæ turpissime fœdantur, expiandis: sed patimur eas iacere supinas, otio desidiamque marcescere? Hæc fuit grauissima, simul ac luctuosissima huius sancti lenis oratio, quæ nostram quoq; desidiam percellit, cùm omnis cura, quam per

Iob 31.

Cant. 6.

Iob. 31.

Cant. 7.

Jacobus
diaconus
in vita
Pelagiæ.
c. 2. Habetur in Su-
rio To. 5.
Oßobri.

totam

totam vitam in ornanda anima nostra ponimus, à cura vnius diei, qua vilis meretricula seipsam ornat, & comit, victa videatur. Ista apud se constituit placere amatoribus suis, & quod statuit, opere adimplet. Nos verò, cum vitam religiosam arripimus, constanter statuimus dacturos nos operam vi placeamus diuinis oculis, idque polliciti sumus, vobis que firmavimus, neque promissis stamus, neque fidem datam seruamus, sed turpiter inuerecundèq; mentimur. Arguat igitur nos incuria nostra, increpet nos infidelitas nostra, confundat nos magna cæcitas nostra, qua in Deum ingrati, in nos ipsos iniqui, & in vitam religiosam, quam profitemur, iniuriosi inuenimur. Hæc autem increpatio tam efficax est, vt nos dormientes excitet, vincetos expediat, & terrenis negotiis occupatos liberet, quo vni tantum negotio vacemus, nobis quidem perneccessario: illud autem est internam pulchritudinem queritare, & nos Deo sanctos illibatosque custodire.

De Pace anima perfecta.

C A P. XX.

TRIA capite superiori signauimus, in quibus pulchritudo animæ in perfectione posita, à pulchritudine corporali distinguitur. Vnum, quod à corpore non pendens est: alterum, quod perpetua est tertium, quod incitamentum virtutis & puritatis est. Aliud verò nobis se offert, & quidem præcipuum, in quo perfectionis pulchritudo à carnis venustate fecerit. In hoc scilicet, quod pulchritudo carnis, bella & discordias generat; pulchritudo verò perfecta virtutis, verissimam animæ pacem importat. Carnis certè pulchritudinem bella & rixas generare, multa sunt quæ testantur faciunt. Nam & in ipso, qui eam possidet, superbiam, inanem gloriam, immoderatam ornatum, & carnis perulantiam, & alia; quæ ex hac consequuntur, vitia gignit; & in illam videntibus, impuras cogitationes, illicita desideria, infames motus, temerarios ausus, & temporalis, ac æternæ mortis fructus exsuscitat. Dina pulchritudo quot bella commouit, quot illustis populi strages patrauit? Erat illa pulchra, & quia pulchra, se domi continere non potuit, & mulieres peregrinæ regionis videre concupiuit, si fortè illæ suam pulchritudinem susciperent, aut superarent. Vidit & visa est. Visa & à Sichem filio Hemor adamata est: Adamata ab illo, insuper & corrupta est. Quid corruptionem nisi bella, & mortes sequantur? Ingrediuntur ciuitatem districtis gladiis Simeon & Leui vasa iniquitatis bellantia, Hemor & Sichem occidunt, masculos omnes interficiunt, & statim alij fratres eorum ciuitatem populantur, omnia deuastant, partulos, ac vxores interfectorum, seruituti subiiciunt, & se, ac patrem, totamque familiam discrimini mortis & perditionis exponunt. Has Dina molestias, & pericula Iacob patri, & fratribus attulit. At pulchritudo Thamar quanti mali origo fuit? Amnonem filium Dauidis fallaci splendore decepit, deceptum inebriauit, inebriatum insanite fecit, insanum ad stuprum impulit, stupratorem interfecit, & in baratrum æternæ mortis præcipitavit. Absalon enim frater Thamar vt eius vicisceretur iniuriam, primò dissimulat, & tacet; Deinde post biennium Amnonem ad conuiuium inuitat, & vino captum seruorum suorum gladiis interfecit. Non feliciorum pulchritudo Bethsabee habuit successum, quæ Dauidem fascinoit, &

A (cum illa esset vxor) ad adulterium adegit: Vriam pulchræ maritum de industria inter hostium mucrones relictum, vita priuauit; vniuersam reipublicam Israël magno scandalo contristauit; inimicos Domini blasphemare fecit; & regem adulterum hac fenerissima comminatione deterruit: Non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quod despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt esset vxor tua. Has pulchritudo carnis molestias procreat, has parit discordias. At animæ pulchritudo concordia & pacis mater est. Ipsa namque nos cum Deo pacificat, interiora nostra placat, & controuersias ac lites inter homines ortas componit. Atque adeò vel propter hoc solum exoptanda, quod præstantissimum bonum (quod est pax) in mentibus iustorum progignit.

B Quid enim præclarior, quid nobilius pace? quam vniuersa creata, vt finem suorum laborum inquirent? Ad hoc quippe illa mouentur, & veluti irrequieta cura sollicitantur, vt ad suum finem, in quo est pax & quies appetitionis naturalis, perueniant. Et sicut discordia vnita disungit, & separatione ad interitum deserit; ita pax disuncta & separata coniungit, & per vnionem ad quamdam perpetuitatem ducit. Pax est enim, vt ait Dionysius, quæ cuncta connectit, concordiamque omnium, atque consensum gignit, & efficit, cuius rei gratia ipsam quoque desiderant omnia, vt quæ diuisibilem ipsorum multitudinem ad totam conuertit vnitatem, intestinamque mundanæ machinæ bellum, quo fœdere mirabili congruat, efficit. Pax enim iusti sanctis studiis, & virtutum actionibus parare conantur, quam Paulus non semel in suis epistolis, vt præmium eis laborum exoptat, dicens: Gratia vobis & pax. Pax enim iniqui impuris actibus, & patratione peccatorum habere nituntur. Quid enim auri & argenti cupidus? quid illecebris carnis addictus? quid honoris, & auræ popularis amator nisi pacem cum sua auaritia, aut concupiscentia, aut ambitione querit? quam tamen, se propriæ voluntati subiiciens, & vitis suis non contradicens, aut inuenire aut possidere nõ potest. Quia scriptum est. Non est pax impiis dicit Dominus. Pax enim angeli sancti, & bearæ animæ in præmium accipiunt, quibus antea promissum erat, quod hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Pax enim Christus mundo attulit, & ideo postremo loco vocatur princeps pacis, quia pacem nostram tamquam fructum suæ vitæ quasiuit. Fuit enim admirabilis humano intellectui, vt eum Deo loquenti & mysteria reualanti subderet. Fuit consiliarius voluntati, vt eam creatori subiceret. Fuit Deus pauperibus, vt immensis donis eos ad virtutis amorem alliceret. Fuit fortis infirmis, vt vinculis iniquitatum eximeret. Fuit pater futuri sæculi inimicis, vt illos ex inimicis in filios conuerfos ad honorem tali patri deferendum incitaret. Fuit princeps pacis, vt in his omnibus à genere humano inobedientiam, id est, bellum tolleret, & obedientiam, ac subiectionem, id est, pacem afferret. Pax enim angeli expectantibus salutem annunciant. Gloria, inquit, in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Pax enim Dominus hospitis, qui nos excipiunt, offerendâ monet. In quacumque domû intraueritis, ait, primum dicite: Pax huic domui. Pax enim, quæ amplissimâ hæreditatè suis hæredibus ex testamento relinquit. Nam ita dicit: Pax relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Pax enim Apostolus, æternam felicitatem, quam speramus, esse definit. Quia regnum Dei nõ est esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in

2. Reg. 12.

Dion. lib. de diuin. no. c. 11.

Rom. 1.

1. Cor. 1.

Isa. 48.

Psal. 36.

Isa. 9.

Luc. 2.

Luc. 10.

Rom. 14.

Ecl. 4.

Gen. 34.

2. Reg. 13.

2. Reg. 11.

Aug. 19.
de ciuit.
c. 12.

Spiritu sancto.] Pacem Salomon in extrema paupertate habitam magnis diuitiis anteponit. Cuius prouerbum est: Melior est pugillus cum requie, quam plena utraque manus cum labore & afflictione animi.] Pacem denique Augustinus ipsismet iurgis, & infestissimis bellis ab hominibus aucupari aumat, imò manifestissimè probat. Sicut nemo est, inquit, qui gaudere nolit, ita nemo est, qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipsi qui bella, volunt, nihil aliud quam vincere volunt: ad gloriosam ergo pacem bello cupiunt peruenire. Nam quid est aliud victoria, nisi subiectio repugnantium? Quod cum factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur & bella, ab his etiam, qui virtutem bellicam student exercere, imperando, atque pugnando. Vnde pacem constat belli esse optabilem finem.] Quantum itaque bonum est pax, quam ipsum bellum illi contrarium non odit, & eum, à qua destruitur, ac dissipatur, diligit, querit, & affectatur, & dum assequitur libens seipsum illi submittit? Quòd si bellum paci contrarium, & inimicum, pacem amat, quidni eam amet & cupiant omnia, quæ pace non intereunt, sed conferuntur: & non minuuntur, sed promouentur & crescunt?

Aug. 19.
de ciuit.
c. 13.

Huius præstantissimæ pacis impij prorsus expertes sunt, imperfecti cupitores; perfecti verò felicissimi possessores, quia ipsorum sanctitas, quæ pulchritudinis causa est, ex illa est quoque pacis, & tranquillitatis origo. Impij nullo modo pacem habent. Nam, si, ut ait Augustinus, pax hominis & Dei, est ordinata in fide sub æterna lege obedientia: & pax hominis ad seipsum est ordinata cognitionis actionisque consensio, & pax hominis ad homines ordinata concordia,] quanam pace illi fruuntur, qui in suis operibus nec Deo obediunt, nec cogitationi fidei consentiunt, nec sunt nisi in impietate, (quæ ordinis inimica est) & iniquitate concordēs? Quam pacem illi habebunt, qui Dei indignationem prouocauerunt, Angelos Dei milites ad uiscendam diuinam iniuriam irritauerunt, homines iustos suæ proacacitate contristarunt, ab alijs peccatoribus per vim desiderata furripuerunt, & omnia creata, dum eis in transgressionem mandatorum abuti sunt, ad vindictam atque indignationem impulerunt? Quam pacem possunt iniqui experiri, quos fides arguit, conscientia mordet, & patrata iniquitas reprehendit: quorum affectus contrarij, & non semel opposita, & impossibilia cupientes, miseram mentem instar feruissimæ procellæ huc illucque mouent, & quasi gladij, conscindunt, & crudeliter lacerant? Verè impij pacem non habent, quorum lucerna extinguitur, ut ait Iob, & superueniet eis inundatio, & dolores diuidet furoris sui. Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut fauilla, quam turba dispergit.] Hanc autem pacem, quæ impij omnino carent, iusti imperfecti cupiunt, atque sectantur, sed necdum plenè eius conspectu ac possessione perficiuntur. Sicut enim inter coniuges sibi mutuo fidem seruantes, possunt & solent esse iurgia atque discordiæ ex diuersitate ingenij, & ex contrarietate voluntatum exortæ; ita inter Deum, & animam imperfectam, quæ in obseruatione mandatorum fidem ei seruat, dissidium esse solet, ex eo quòd hæc in rebus leuioribus diuinæ voluntati nequaquam se accommodat. Nam, ò tepide, Deus silentium, tu loquacitatem amas; ille mortificationem; tu immortificationem diligis; ille virtutes; tu vitia iræ, inobedienciæ, & ambitionis amplecteris; ille vult ut impensè cordis puritati, & imitationi sanctorum insistas, tu è contrario vanis cogitationibus & ineptis desiderijs tui cor-

Iob. 31.

A dis domicilium feceras, & non sanctorum, sed aliorum tui similibus libertatem, & tepiditatem sectaris; quomodo ergo cum Deo habebis pacem, quam ratione cum illo conseruabis concordiam? Quinimo ipse resister tibi, & sepiet viam tuam spinis, ut est in Osea, & te quotidie arguet, & singulis momentis increpabit,] quousque & quod ille amat, tu ames, & in omnibus rectissimæ illius voluntati subdaris. Si verò imperfecti homines cum Deo integram pacem non habent, nec secum ipsi habere possunt. Hæc enim pax ab illa progreditur. Vnde rectè ait Leo Papa: Si mens rectori suo subdita, & supernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcauerit, & in suo mortali corpore regnare peccatum non fuerit, ornatissimum tenebit ratio principatum, & munitiones eius nulla spiritualium nequitiarum labefactabit illusio: quia tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præside gubernatur.] Qua igitur illi pace gaudebunt, quorum caro non solum menti repugnat (quod humanum est, & omnibus in hac vita commune) verum etiam eam deicit, & expugnat, ac immoderatis feruire facit affectibus: & quorum mēs Deo multa iubenti repugnat, & potius eligit effrenatis passionibus contraria postulantis obedire? Ex hoc autem nascitur, ut isti cum alijs hominibus minimè pacem conseruent. Nam facillè irascuntur, si alij auferant, quæ ipsi amant, aut consequutionem desideratorum impediunt. Facillè obmurmurant, si quid suæ voluntati contrarium, aut dici aut fieri ab alijs aspiciunt. Facillè verba, aut contumeliosa, vel certè aspera, & suaui loquuntur, si aliqua sibi molestia à fratribus irrogetur. Vbi autem est ira, murmuratio, & contumelia, non potest indurpta pax conseruari, neque concordia reperiri. Eiusc derisorem, inquit Salomon, id est, eum, qui de aliorum dictis & factis detrahit, & omnia in peiorem partem interpretatur, & exhibet cum eo iurgium, cessabuntque causæ litium,] scilicet & contumeliæ. Qua sententia docet, vbi detractores & contumeliosi sunt, pacem non esse, etiã si non admodum graua sint, quæ detractione aut contumelia notantur.

Osea 2.

Leo ser. x.
quadrag.

C Superest ergo, perfectam animam, veram & perfectam pacem habere; cuius pulchritudo, quia in perfecta charitate, & omnium virtutum cumulo posita est, hæc ipsa pacem animæ huius cum Deo, & secum ipsa, & cum reliquis hominibus habet illigatam, à qua, nisi decidat à semetipsa, nulla potest ratione deuelli: Sicut enim Dominus primos parentes nostros, innocentiæ pulchritudine spoliatos à paradiso deturbauit in hanc miseriamque vallem, ne locum tam pacificum, quo indignos se reddiderant, amplius incolerent: ita è diuerso animas sanctitatis pulchritudine decoratas, in quodam statu pacis, & tranquillitatis collocat, in quo (secundum quod post lapsum fieri potest) vitam illam omnis perturbationis expertem accipiunt, quam illi primi hominum fautores perdididerant. Apertis verbis vaticinatus est hoc Isaïas: Erit, inquit, opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium, & securitas vsque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiducia, & in requie opulenta.] Fructus quidem veræ & perfectæ iustitiæ est illa pax exuperans omnem sensum, qua Deus animas sanctas subicit sibi, & omnia earum interiora componit. Et opus eiusdem iustitiæ est tranquillitas, per quam homo inter alios, à suis quoque moribus & proposito distans, pacatus viuit, & non ab ipsis ad malum trahitur, sed sine vlla violentia eos ad bonum pertrahit. Atque eo ipso, quòd ad populum Dei opere pertinuerit

Prou. 22.

Isaia 32.

D E allequetur

allequetur

assequetur in arthā prāmij celestis pulchritudinem pacificam, quam proci non turbent, aut pacem pulcherrimam, quam omnes admittentur. Accipiet insuper securam in Deo fiduciam, & requiem, quæ non otiositate, & ignauiam matrem mendicitatis, pariat, sed immentos operum bonorum thesauros, & ingentes mentis profectus inuehat. Anima ergo perfecta, cum Deo tranquillissimam pacem in seipsa sentit. Nam sicut corpus sanitate perfectum cum sua anima, à qua vitam, sensum, & motum percipit, lætissima pace fruitur; & sine vlla difficultate, eius gubernatur imperio. Si anima vult, vt loquatur, sine vlla mora loquitur, si vult vt sileat, mox silet, & verba recolligit; si vt moueatur, statim gressibus ordinatis se mouet; si vt quiescat, refert pedē. & è vestigio quiescit: effert manum aut caput, si anima iubeat, & si contrarium præcipiat, facilliter deprimat, & in omnibus aliis aptissimum ei instrumentum est Dei, quæ ea cogitat, ea cupit, ea loquitur, ea opere exequitur, quæ Deus vult, aut potius (vt accommodatiùs ad propositum simile loquamur) quæ in ea cogitat, & desiderat, & fatuit, & exequitur Deus. Ideoque Paulus Christi beneficia considerans ait: Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.] Quoniam modo fecit vtraque vnum? Certè non solum, quia duos populos Iudaicum & Gentilem reconciliauit, dum maceriam circumcisionis, & inimicitia idololatricæ, quæ reconciliationi obstabat, per crucē in sua carne dissoluit, sed etiam quia Deum, & animam in vnum velle nollēque coniunxit; ita vt sicut corpus sine vlla contradictione ab anima regitur, eum qua in vnum hominem coalescit; sic & anima ab vno Deo, quem vitam & animam suam esse cognoscit, sine difficultate regatur. Speculū tersum, atque politū faciem refert, & quasi pulchritudinem & lineamenta illius induit, qui ad eum propius accedit: & lacus aquæ purissimæ atque tranquillæ, cælum, & solem in die, nocte verò lunam & stellas ita representat, vt modicum cælum ad terras delapsum appareat: ita perfecta anima, quæ speculum Dei est, Dei se aspicientis voluntatem recipit, & eius pulchritudinem, miritatem, benignitatem, & alias perfectiones diuinas refert. Est tanta inter Deum & hanc animam pax, vt iam non duo, sed vnum quid esse videantur. Et sanè quodammodo vnum sunt, dicente Paulo: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est.] Non vnus substantia, sed vnus cum Deo similitudine, vnus consensione, vnus imitatione. Tam potens enim est, ait Anselmus, hæc humana mens, quæ est imago Dei, vt ei cuius imago est, valeat inherere, quoniam sic ordinata est naturarum ordine, non locorum, vt supra illam non sit nisi ille. Cui cum penitus adhæserit, vnus spiritus erit, accedente quidem ipsa ad participationem naturæ, veritatis, & beatitudinis illius.] Sicut ergo inspirauit Dominus in facie hominis spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem,] quæ est imago Dei, ita inspirat in faciem animæ spiritum charitatis perfectæ, eam viuificantis, atque sanantis, qui ipsam sanctitate & morum puritate Deo quàm simillimam reddit. Hæc est sanctorum pax, qua anima perfecta in omnibus Deo cum summa hilaritate, & exultatione subiicitur. Quæ si antea impetuose propriam voluntatem implebat, iam eodem impetu, imò & maiori propensione Dei voluntatem adimplet. Quæ antea gaudenter delicias corporis quærerat, iam latissime corporis afflictionem quærerat, & spiritus delicias exoptat. Quæ prius honores & mundi dignitates ambiebat, iam sui contemptum, & Dei honorem concupiscit. Et quemadmodum prima materies, quam summus Philoso-

A plus principium rerum sublunarium cogitat, formam quidem generaliter appetit, à qua substantiam, & naturam perfectam habet, at formam istam seilicet plantæ non magis quàm illam, seilicet auri, concupiscit; ita perfectorum corda iustorum infinitis quodammodo desiderijs appetunt voluntatem Dei, hoc autem, aut illud eatenus cupiunt, quatenus ad huius diuinæ voluntatis executionem spectat, & in eius honorem & gloriam redundat. Nos itaque iustificati ex fide hanc pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.] Quod tunc assequimur, cum exuto veteri homine nouum induimus, & sanctitatis operibus insistentes ad pristina vitia non retrogredimur.

B Hanc pacem Dei & animæ, pax ipsius animæ ad seipsam, quæ affectuum concordia, & appetituum tranquillitate constat, sine vlla mora consequitur. Si enim hero domum ingrediente, seruulorum turba tacet, & inquietudo, ac lusus mancipiorum quiescit; quidni ingrediente Domino arcem animæ, & omnes eius potentias obrinente, passionum & affectuum, quæ velut serui sunt animæ, multitudo quiescat. Silet ergo, & statim ordinem amat, & desideriorum perstreptentium clamores relinquit. Experimurque Dominum turbam reipublicæ nostræ interioris pacantem, & optatam tranquillitatem afferentem. Et illud Dauidis implerum videmus.] Factus est in pace locus eius.] Et rursus: Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis.] Dies namque Domini illi intelliguntur, in quibus perfectè regnat in nobis. Sicut enim hora eius dicta est, qua nostram erat salutem operaturus, & ad Patrem transiurus; ita dies illius sunt, quibus in nostris mentibus salutem consummat, & regnum peccatorum euertit. In his diebus non solum iustitiæ lumen exoritur, sed & pacis abundantia succrescit, dum desideria terum mundanarum obdormiscunt, & veteris hominis affectus illigantur. Nondum extincti sunt, & sicut in illo felici innocentie statu ad omnimodam subiectionem redacti, sed presentia Domini compositi, & abundantia misericordie eius consopiti. Quo se occultante statim perstreptunt, & aduersus legem spiritus rebellare moluntur. Statim pacis, & statim belli Propheeta regius proprio didicit experimento. In quodam loco ait: Domine in voluntate tua præstitisti decorem meo virtutem,] quæ scilicet affectus meos submitterem, & vana desideria subiugarem: at auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.] Et iterum alio loco dicit: à tempore tentationis incipiens: Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibant omnes bestie siluæ, catuli Leonum rugientes, vt rapiant & quærant à Deo escam sibi.] Bestiæ enim, & catuli Leonum sunt bestiales carnis motus, qui escam mortis, qua nos interficiant, inquirunt, & quia bestiales sunt, à Deo auctore vitæ postulandam existimant. Et postea tempus pacis describens: Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.] Non itaque moriuntur, sed ordinantur, & in loco suo collocantur. Et tunc exhibit homo securus ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam.] Hæc etiam, sicut & prima, est propria perfectæ animæ pax. Vnde inquit Ambrosius: Perfectorum est non facillè mundanis moueri, non turbari metu, non exagitari suspitione, non terrore concuti, non dolore vexari, sed quasi in litore turissimo aduersus insurgentes fluctus secularium procellarum mentem immobilem fide statione placidare. Hoc firmamentum Christianis mentibus Christus innoxie, pacem internam inue-

Rom. 5.

Psal. 75.
Psal. 71.

Ioan. 14.

Psal. 29.

Ps. 103.

Amb. lib.
1. de In-
cob. c. 6.

Ephes. 2.

1. Cor. 6.

Anselm.
ibid.

Genes. 2.

D

E

hens animis probatorum, vt non turbetur cor nostrum, neque exagitetur animus. Hanc pacem super omnem mentem esse Apostolus doctor asseruit, dicens: Et pax Dei, quæ exuperat omnem mentem, custodiat corda vestra, & sensus, in Christo Iesu.] Fructus itaque pacis est non perturbari in pectore. Denique vita iusti quæra est, iniustus autem inquietudinis, & perturbationis plenus est.] Sicut ergo est opus Dei, in hoc mundo, dum bene est secundum suas partes constitutus, quod elementa contraria pace fruuntur, & nec terra aquis obruatur, neque aqua terræ hiabibus absorbeatur, neque aer ventis agitur, ignis extinguitur, neque ignis aerem inflamat, sed omnia hæc mutuo se adiungunt, & in sua se natura conferunt: ita opus Dei est, in animo bene ordinato, vt affectus oppositi pacem habeant, dum quisque eorum iuxta præscriptum diuinæ legis se mouet, & nec immoderatus amor, nec effrenatum odium, nec pusillanimitas timor, nec audax spes, in nostrum excidium mortemque spirituales conspirent. Circundat Dominus perfectos viros protectione sua, vt non solum in malum non consentiant, verum etiam ne malum quidem, nisi raro & à longè & valde leuiter sentiant, quod nec permitteret, nisi id naturæ lapsæ status exposceret. Huius autem operis Domini conqueritur diabolus, & vitam perfectorum eleuare conatur. Dicitque ad Dominum, dum iustum pacatum, & patientem, & pacificum videt: Nónne tu vallaisti eum, ac domum eius, vniuersamque substantiam per circuitum; operibus manuum eius benedixisti, & possessio eius creuit in terra? At perfectus vir has Dæmonis irrisiones nihil curat, imò sua pace lætundus Isaiæ verbis aduersarium irridet. Conqueuit, inquit, & siluit terra, gausa est, & exultauit, abietes quoque latæ sunt super te, & cedri Libani, ex quo dormisti, non ascendit, qui succidat nos.] Merito dormientem putat, quem Petrus vigilantem, & rugientem, & circum-euntem aduertit, quoniam sicut Syrenes illæ à Poëtis confictæ cantu suo homines soporabant, & soporatos discerpant: ita Dominus voce sua, quæ in canticis de dulcedine, & suauitate commendatur, diabolum aduersus quem iustus semper vigilat, veluti in somno quodam, & obliuione sepelit, ne iustum persuasione ad malum infestet. Legimus quia Dominus stans in medio discipulorum sanctorum dixit eis: Pax vobis, & turbatos, & diuersitate sensuum dissociatos, quam de resurrectione conceperant, ad pacem & concordiam redegit: ita positus in medio animæ iustæ, atque perfectæ, & cor eius possidens, & pacem edicēs, affectus interiores pacificat, & passiones componit, vt iam nō bella cieant, sed tranquillitatem meditentur. Quid moror? Nónne solent duo reges inimici, qui se bellis insequuntur, ad magnam pacem redire, & aduersus alium regem vtrique inimicum arma sumere, & eum hostiliter debellare, eoque victo atque prostrato in cæpta pace persistere? sed idem faciunt corpus & anima, qui in statu imperfectionis inimici erant adinuicem, quoniam caro concupiscebat aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Amicitiam enim inueniunt, pacem componunt, & anima corpori imperat, corpus verò lætum, & alacere animæ famulatur, vt vtrumque quasi vno agmine virium suarum factis, aduersus dæmonem, communem aduersarium insurgant, & eum sanctè viuendo, & diuinæ legi in omnibus obediendo, sibi glorioso triumpho subiiciant. Quo victo, atque prostrato, pax animæ & carnis durat, & dum illa iuber, & ista parer, integra & indurata perseverat.

Anima denique perfectæ, quæ cum Deo intiola-

A bilem pacē inquit, & suis affectibus ordinatis pace imponit, quid restat, nisi vt cum proximis quoque pacem habeat, & (quod in ipsa est) numquam concordiam frangat, nec fœdera fraternitatis abrumpat? Id profectò sollicitissimè præstat, & cum ad nullam rem immoderate sit affecta, vt pacem cum omnibus sibi parer, & paratam conseruet, seruatamque promoueat, nulli labori parcat, nihil non suffert, & nullum bonum paci, & charitati præferendum putat. Audit dicentem Apostolum: Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.] Audit attestantem Iacobum: quod fructus iustitiæ in pace seminari faciunt pacem.] Audit Petrum suadentem: Charissimi, hæc expectantes satagite immaculati & inuolati ei inueniri in pace.] Et pacem sectatur, in pace bona opera feminat, & in pace immaculata vult inueniri, vt Deum in hac vita oculis contemplationis, & in alia oculis gloriosi luminis videat, & fructus pacis perfectæ recolligat. Non ergo anima perfecta contenta est, si pacata inueniatur, quod Bernardus pusillissimè attribuit, qui vocantur filij pacis, dum Dominus ad Apostolos dicit: Et si fuerit ibi filius pacis, requiescet super illum pax vestra.] Nec etiam si patiens reperitur, quod proficientibus conuenit, & contumeliis violati, iniuriisq; laceffiti, pacem non amittunt. Quare lætanter de sua patientia gloriantur, cum iusto rege canentes: Ecce in pace amaritudo mea amarissima.] Sed etiam (quod perfectorum est) pacifica vult inueniri. Quia molientes pacem auferre, diligit, & ad pacem intigare procurat. Pacifici sunt, inquit sanctus pater Bernardus, qui non solum in se & in aliis pacem faciunt, sed etiam volentes auferre diligunt, sicut scriptum est: Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus.] Ecce isti sunt, in quibus requiescit, & mansionem Deus facit. Ecce isti sunt, quos sicut filios Deus diligit, & de quibus tamquam viuus lapidibus templum sibi sapientia construit. De quo adificio, ne vlllo impulsu possint labefactari, ipso Deo inhabitante pariter, & operante, ad similitudinem lapidis quadrantur. Superiorius, cum diuinæ voluntati suam humiliter & prudenter subiiciunt. Inferius, cum carnem subiectam temperantes regunt: A dextris, cum iuste bonos amplectuntur, & à sinistris: cum malos fortiter patiuntur.] O verè anima amatrix pacis, & domus tranquillitatis, quæ & Deo, & sibi pacata est, & amicis & inimicis pacifica. Quam hostes ad discordias non pertrahunt, & ipsa se persequentes ad pacem & concordiam inuitat. Huic dabit Dominus solatium verum, pacem super pacem. Nam pro pace ista perfectissima, quam in terra possidet, pacem ineffabilem in cælo recipiet. Vnde Gregorius ait. Super pacem, quam dilectis suis in hac vita tribuit, in æterna felicitate aliam diuinam miseratio dabit, vt iam caro non repugnet spiritui, nec aliqua vilius tentationis subrepat occasio, omnibus iam compositis: vt reformata in melius humana natura iam nemo cadere, nemo possit peccare.] Istam sanctissimam pacem nulli omnino perturbationi obnoxiam Deus ciuibus cæli reseruat, sed in sanctissimis viris adhuc in hac vita positus ex parte delineat, dum eos perfectè sibi subiicit, & interiora illorum ordinat, & cum proximis sincerissima charitate componit. Qui verò adhuc tepidi, & imperfecti sumus, nec Deo plenè subdimur, nec affectus constanter vincimus, nec proximis perfectè copulamur, & ideo pacis pulchritudinem non experimur. Eia igitur anima mea ad perfectionem aspira, & dum hoc pacis bonum certè præstantissimum assequaris. Quia, vt ait Baruch, si in via Dei ambulasses, habitafses vtrique in pace super terram.]

Heb. 12.

Iacob. 3.

2. Pet. 3.

Mat. 10.

Isa. 38.

Bern. in

sententijs

sent. 1.

Ps. 119.

Grego. ad

Psal. vii.

pauit.

Baruc. 3.

De

De securitate anime perfecta.

C A P. XXI.

SECURITAS est comes pacis, quæ si vera est, & à Deo donata, non pericula abscondit, non laqueos occultat, non pedicas & vincula ignorantibus iniicit, sed potius omne quod est lubricum & periculosum, remouet, vt qui pace gaudet, maneat securus. Quare Scripturæ sacræ pacem & securitatem sæpè coniungunt, quarum illa sine ista non erit vera & perfecta pax, sed verum bellum, & falsa tranquillitas. In pace in idipsum, ait Dauid, dormiam & requiescam: quoniam tu Domine singulariter in spe constituisti me. Qui in pace dormit, & in vitæ autem soporatur, ex eo quod in spe diuinæ protectionis stabilitus est, longè videtur esse à discrimine, quod securitatem eripiat. Et imperante Salomone, quem ob pacem à Domino illi datam regem pacificum appellarunt, habitabat Iuda, & Israël absque timore villo vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua à Dan vsque Berlebee. Quo securitas Israëlitarum notatur, qui magna pace ditati, nec occursum malum timebant, nec Satan, aut aduersarium formidabant. Quin & Paulus pacem Dei exuperantem omnem sensum, precatur nobis, vt custodiat corda nostra, & intelligentias nostras; affectus autem & sensus nostri ab hac pace Dei, quæ Christus est, custoditi, quidni ab omni casu, & cæcitate tuti erunt atque securi. Nec non & Ieremias ait, cum in terra pacis securus fueris, quid facies in superbia Iordanis? Quibus verbis indicat, quod sicut filij Israël terram sibi promissam incolentes, in qua pacifici erant, magna securitate latabantur, Iordane tamen transuadato, qui regionem illam terminabat, bellorum & captiuitatis pericula erant subituri: sic & anima in terra perfecta virtutis tamquam in terra pacis secuta, & quæta est, cuius limitibus prætermisissis, non solum bellum sentiet (quod securi quoque in hac vita aliquando sentiunt, in qua non est plena, & consummata securitas) sed periculis quoque cadendi patebit.

Si igitur vera pax & vera securitas sorores sunt indiuiduæ, sequitur, quod perfectio pulchra, & quæ pulchra pacifica, erit etiam pro modulo huius vitæ secuta. Quam anima in recessibus sui cordis recondens, securitatem habebit ab hostibus internis, & externis, eam nimirum securitatem, quæ huic vitæ lubrica, & tot miseriis circumdata, nequaquam repugnat. Salomon enim ait: Cogitare de illa (& de sapientia loquitur, quo nomine in illis libris moralibus perfectionem diximus esse descriptam) sensus est consummatus: & qui vigilauerit propter illam, citò securus erit. Si perfectionem cognoscere, non vt cognoscas solum, sed vt habeas, eiusque te documentis accommodes, summa prudentia est, & propter illam vigilare, & laborare magna securitas: quanta, rogo, securitas erit, ad finem laborum venire, & eam, propter quam laborabas & vigilabas, feliciter possidere? Certè tantam, quantum ipse diuinus spiritus voluit ad vtilitatem & consolationem nostram per os Sophar Naamathitæ describere. Si iniquitatem, inquit, quæ est in manu tua, abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, tunc leuare poteris faciem tuam absque macula, & eris stabilis, & non timebis. Misericordie quoque obliuisceris, & quasi aquarum, quæ præterierunt, recordaberis. Et quasi meridians fulgor consurget tibi ad vespertam, & cum te consumptum putaueris, orieris vt Lucifer. E

A habebis fiduciam proposita tibi spe, & defossus securus dormies. Requiesces, & non erit qui te extereat. O felix status! O tempus desiderabile, in quo anima hostibus & tentationibus septa hac miranda securitate gaudebit! Iniquitas, quæ manibus attribuitur, peccata externa designat: & iniustitia, quæ in tabernaculo, hoc est, in corde commoratur, delicta interna, & necdum ad opus profecticia, significat. Si ergo anima interius & exterius se à peccato mundaauerit, & puritatem in se virtutis expresserit, faciem coram omnibus confidenter leuabit, quia nihil est in ea, propter quod debeat pudore suffundi, constans & firma erit in accepta iustitia, nec timebit astu demonis ab illa derudi: quia Dominus illuminatio eius, & salus eius, quem timebit? Dominus defensor vitæ eius, à quo trepidabit? Obluiscetur quoque præteritorum peccatorum, memoriam quorum Dominus misericorditer velut spinam cordi infixam euellit, (vt ait Cassianus) & animam iam defæcatam non tam ad lugenda præterita (quæ mari compunctionis suffocata sunt) quam ad laudes Deo canendas, & ad affectus amoris inuitat. Et sicut periculi iam elapsi, quod effugimus, cum exultatione recordamur, illud quæ aliis cum risu, & gaudio narramus, sic ista vitæ præterita recordabitur, non quia mala ei placeant, sed quia se euasisse, & fugisse gaudet illa, quæ summè displiceant. Vita eius ad vespertam id est, in postremis diebus, cum feliciter iam tempus vocationis in stat, erit felicissima, & quasi meridiæ sanctitatis splendore clarissima, & cum in veste corporis obscurata fuerit, & pallore mortis absumpta, veluti aurora consurget. Si enim hæc preceat, & crescit vsque ad perfectum diem; ita anima à puritate huius vitæ ad puritatem æternæ gloriæ perueniet, & non iam sicut Lucifer, sed sicut sol in suo seruore positus emicabit. In discriminiibus posita, & fetis, ac bestiis obiecta, non desponder animam, sed certissima spe, & stabilissima fiducia robotata aggredietur pericula, & Domino pro illa pugnante, liberabitur: iuxta illud: Iustus, quasi leo confidens, absque terrore erit. Denque quasi vallo, fossaque munita, contemplationis quietem capiet secuta, quam nec illusiones vanæ terribunt, neque timores aut minæ; ab eo quod oportet, aliquando dimouebunt. Hac longa oratione, & mysteriorum plena iste amicus Iob animæ iustæ securitatem exaggerat, & fortem desiderabilem timentium Dominum manifestat.

D Sed in quo constituta est ista perfectiorum securitas, & quam eius assignabimus causam? Equidem ego existimo causam huius securitatis esse, quod Deus in medio perfectæ animæ habitat, & in ea tamquam in folio requiescit, & tamquam murus igneus illam undique cingit, atque defendit. Paulus enim ait: Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi. Quæ virtute repletus, tantum abest, vt tribulationes timeat, quod potius eas velut feminaria felicitatis pro gloria habet, sciens, quia cum infirmatur, tunc non infirmus, sed potens est. Sedes profectò regis ab omni iniuria tuta est, quis enim thronum, in quo rex sedet, non honorabit, atque suspiciet: Anima autem perfecta sedes est summi Dei. Nam iustitia, & iudicium, ait Dauid, præparatio sedis tuæ. In cuius signum Domino, vt Bernardus meditatur, tessuro super asellum vestes suas discipuli substrauerunt, significantes, saluatorem, seu salutem nequaquam insidere nudæ animæ, quam non vt vestitam inuenerit doctis & moribus Apostolorum. Quis ergo Dei sedem audeat violare? Quis thronum Regis omnipotentis attingere? Rachel femina, & eo ipso imbecilla, & infirma, sedens super

Psal. 4.

3. Reg. 4.

Philip. 4.

Iere. 22.

Sapient. 6.

Iob 22.

Psal. 26.

Cassian. col. 20. c. 7.

Prou. 23.

2. Cor. 12.

Psal. 88. Bern. ser. 27. in 1. c.

Gen. 31.

idola patris sui, abscondit ea, & ab iniuria vindicauit, & Deus insidens animam, illam seruare, & tutari non potest? Quis hoc in animum suum inducet? Et illa quidem subter stramenta cameli furtum abscondit, vt patrem quarentem eluderet; Dominus verò non solum abscondit sanctos suos in abscondito faciei suae; verum etiam ad modum maris, vt eos protegat, in circuito ipsorum se vndequa; diffundit. Osee 9. quippe ait, Ephraim, vt vidi, Tyrus erat, fundata in pulchritudine. Nam sicut Tyrus in solo fertilissimo edificata, ad firmitatem, & tutamen suum mari vndique cingebatur; ita anima sancta in loco sanctitatis extructa, Deo, vt secura sit, tamquam inexhausto mari circumdatur. Quod si vrbes maritimae prater mare, quo fortissimae sunt, muris ad maius robur & tutamen cinguntur, non desiderat murum sancta anima, quae scriptum legit in Zacharia: Et ego ero eis, ait Dominus, murus igneus in circuito, & gloria ero in medio eius. In medio eius est gloria, & pulchritudo; quia sicut examen apum regem suum in medio habens, & exercitus militum ducem in honorabilissimo loco velut corporis caput ostendens, pulchra, & gloriosa iudicatur; ita perfecta anima Deum in corde recondens, non potest non pulcherrima iudicari, & omni honore ac reuerentia digna videri. In circuito verò eius est murus igneus, qui non tantum rumpi, aut transiliri non potest, verum etiam, nec propè videri, quoniam propè accedentes comburet, atque consumet. Sic Dominus se gerens erga perfectam animam, non dubium est, quin eam reddat securam; quam vt proprium solum suae praesentiae honore afficit, & vt vrbem sibi dilectam sua protectione custodit. Perfectio ergo, quae animam solum Dei facit, & tutissima eius protectione cingit, magnam profectò securitatem inducit. De qua illud Salomonis probè intelligitur: Substantia diuitis vrbs roboris eius, & quasi murus validus circumdans eum. Diues enim (si res aqua lance aestimemus) non potest esse alius, quam homo perfectus, qui non aurum, & argentum, & res perituras possidet, sed charitatem, sapientiam, & veras virtutes recondit. Ista itaque diuitiae, ista non angusta sed ampla substantia, pro vrbe munita, & pro muro valido homini iusto, & praecipue viro perfecto est; quia si opes huius saeculi pecuniosum hominem non defendunt, imò saepe suae sunt occasio ruinae, opes caeli nempe virtutes certissime protegent eum, & cunctas hostium arcent insidias.

Praesentia itaque Domini animam inhabitantis, & eam protegentis, huius securitatis est causa. at in quo consistit ista securitas? Certè in hoc, quod perfectus pro suae vitae, & profectus ratione graua peccata prostravit, vitia extinxit, inordinatos affectus deiecit, & iam victos rationi, & diuinae voluntati subiugauit. Atque in quadam vitae celsitudine positus, non est cur timeat ea, quae in imo consistentes inquietant. Hic thesaurizauit thesauros in caelo, id est, in celsissima puritate vitae, quae caeli similitudinem gerit, quò fur non appropriat, neque tinea corrumpit, & ided nec fures, scilicet aduersarios externos timet, nec tinea, internas videlicet rerum malarum concupiscentias metuit. Quid enim ille trepidet auaritia, & rerum temporalium possidendarum bellum, qui pro perfectionis desiderio, & paupertatis amore omnia contempsit, & vix ipsum paucissimè victum, & vile indumentum corpuleculo necessarium admittit? Quid timeat suae carnis venenatum sibilum, qui, vt eam spiritus imperio subiiceret, omni asperitatu, & afflictionum genere domat, & licita frequenter ei negat, ne illicita concupiscat? Quid horreat propria

voluntatis occursum, & honorum, ac dignitatum appetitum, qui minimam quoque honoris significationem fugit, & in aliquo etiam modico suam voluntatem sequi, vt pestem infestissimam perhorrescit? In hac itaque altitudine vitae, & in hac celsitudine perfectionis, tamquam in monte celsissimo homo securus est; ne à viperis vallium infestetur, id est, ne à delictis tepidè viuientium feriatur. Quod varicinatus est Abdias, dicens: Et in monte Sion erit saluatio, & erit sanctus, & possidebit domus Iacob eos, qui se possederant. Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula: & succendentur in eis. In hoc sane monte, qui fastigium perfectionis significat, in quo sancti, & perfecti commorantur, erit certa saluatio, & iucunda securitas. In illo domus spiritualis Iacob, illi scilicet, qui è vicino Christum imitantur, possidebunt inordinatos affectus suos, qui se antea possederant. Et erunt velut ignis, & velut flamma, quae, si praedictos affectus non penitus consumat, at in fugam vertat, ne amplius sanctos, & victores ad mala pertrahant, aut vehementer inquietent. Si volumus igitur in hac vita aliqua securitate gaudere, audiamus hospitam exploratorum terrae promissam, viam huius securitatis adipiscendae pandentem: audiamus eam, & obediamus ei: Ad montana conscendite, inquit, ne forte occurrant vobis reuerentes, ibique latitate tribus diebus, donec redeant, & sic ibitis per viam vestram. Hunc perfectionis montem conscendamus, & ab omni strepitu curarum saecularium abscondamus nos, sic res, quas prius immoderate diligebamus, & per campestria vitae tepidè reuertuntur, nequaquam nobis occurrerent. Et securi viam nostram, eam scilicet, quae ducit in caelum, & sine magna tentationum molestia carpeamus. Atque hanc esse viam alicuius securitatis habedae Basilius hac oratione patefacit: Absit, inquit, vt nos per huiusmodi vacationem, (id est, per otiositatem, qua ab operibus bonis vacamus) aditum aduersario praebeamus: sed domui mentis nostrae vacemus, vt in nobis Christum per spiritum promereamur habere inhabitantem. Igitur postquam vobis agitis ab hostibus, pacem dilargitus est, tunc dicit: vacate à miserè vos distrahentibus inimicis, vt in quiete & silentio verba veritatis contemplari possitis. Idcirco Dominus aliàs dicit: Qui non renunciat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. Vacemus itaque à studio diuitiarum, à cupiditate item inanis gloriolae, à voluptatum usu, ab inuidia, & omni demum in proximum nostrum malignitate, vt anima nostra in tranquillo ac quieto statu consistente, nec vlla vitiosa affectionis turbela eam agitante, in ea tamquam in speculo irradiatio & affulgentia Dei pura sit, nec vlla obscureretur caligine. Ex quo cognoscimus, eos, qui ab operibus saeculi se sequestrant, & vt perfectos decet, affectus rerum mundanarum ex corde euellunt, & internam pacem habere, & licet affectus velut à longè aliquando latent, magna securitate delectari. Sicut enim qui in aliqua arte aut disciplina peritissimi sunt, ab erroribus, aut defectibus, in quos illius facultatis tyrones incidunt, videntur esse securi, ita in vita spirituali perfecti tuti esse videntur ab impugnatione eorum affectuum, quae solent imperfectos vincere, & miserabili casu prosternere.

Sed aliam huius securitatis partem, in qua etiam posita est, breuiter attingamus. Ea scilicet est, quòd sicut Dominus praesentia sua ab importuno bello interiorum affectuum viros perfectos liberat, ita etiam à daemone, & hominum impiorum impugnatione defendit. Defendit, inquam, illos à tentationibus

daemone

psal. 30.

Osee 9.

Zach. 2.

Prou. 18.

Abdias. cap. 1.

Iosue 2.

Basili. h. in Esaim. 45.

Luce. 14.

dæmonum, quia statim lucem ad cognoscendam tentationem infundit, & robur ad eam vincendam concedit, & attentionem, ac sollicitudinem ad ipsam statim ventilandam, & repellendam impertit. Nonnumquam etiam experimur, quod dæmoni quasi se se ad tentationem paranti, & iamiam aduentanti, Dominus ut fortissimus gigas occurrit, & à nobis cum rubore, & confusione depellit; & infestationem appropinquasse, atque prius quam eam sentiamus, imò & priusquam cuius generis fuerit, cognoscamus, defensoris benignissimi dono, eam enanuisse sentimus. Fitque quoddam stupendum, atque mirabile, ut qui in principio conuersionis, si ad quamvis tentationem non cadebamus, at periclitabamur, iam facti robusti, insulsi dæmonum irridemus, & ipsorum conatus & suasiones spernimus. In die illa, dicit Dominus per Micheam, congregabo claudicantem, & eam, quam eieceram, colligam, & eam affliceram. Et ponam claudicantem in reliquias, & eam, quæ laborauerat, in gentem robustam.] O quantum me delectat illius diei commemoratio, qua Dominus congregat dispersiones claudicantis, & animæ impetfectæ, & tepida affectus, & desideria in vnum sui desiderium compellit. O quantum me afficit illius horæ memoria, qua sponsum perditam meretricem, id est, animam peccatricem, & rerum mundi amaricem, quam flagellis afflixerat, & cum indignatione à se proiecerat, in sinum suæ misericordiæ colligit, & ouem perditam ad caulas sui gregis reducit! In illa die ponit Dominus claudicantem in reliquias, quoniam eam animam, quæ claudicabat, & iam post Deum, iam post sua desideria intemperanter incedebat, similem sanctis præcedentibus reddit, & mirabili mutatione eam ad normam sanctorum accommodat. Laborantem etiam infirmitate facit in gentem, robustam, ut aduersarios, quos timebat, rideat, quos formidabat, ad bellum prouocet; & quos victores sustinebat, victos, & fugientes agnoscat. Sancti igitur non ideo securi sunt, quia numquam sibi dæmones laqueos tentationum obtendunt, aut quia pusillo animo se in aduersariorum diuionem tradunt, sed quoniam auxilio omnipotentis iussulci, facili negotio eorum conatus euertunt. Non quidem est perfectorum securitas in hoc, quod aliquando tentationibus non impugnentur, quia cum militia sit vita hominis super terram.] Non potest ac si esset in pace omni hostium insultu carere, & omnimoda tranquillitate lætari. Neque etiam in hoc stare potest, quod aduersario, prohibita suadenti, & illicita proponenti, consentiant. Qui enim hosti consentiunt, videntur quidem habere tranquillitatem, ut egregie dixit Ambrosius, videntur quiete frui, sed non est quies, ubi animus inquietus est: non est tranquillitas mentis, ubi animus exagitur obnoxia stimulis conscientia. Quomodo securitas, ubi diuersarum pugna est passionum? ubi conflictus grauium cogitationum? Ideo itaque ab incurribus dæmonum sunt securi, quia ope diuina cinguntur, quia auxiliis gratiæ proteguntur, quia eximio quodam splendore ad eos cognoscendos suffunduntur, & denique quia tentationis ignis multò mitius in illis exardet, in quibus, quia affectus ordinati sunt, materiam comburendi non reperit. Et ideo Bernardus ait: Nihil in hac vita securius, nihil iucundius possidetur, bona conscientia. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus: illa tamen semper erit secuta.] Etiam si terreat diabolus, secuta consistit, quoniam suasionibus illius non magis mouetur, quam ciuis sapientissimus sermones hominis rustici illum ad præcipitium suadentis aduerteret.

Micb. 4.

Iob 7.

Ambrosius in Psal. 118. ser. 17. ad vers. 5.

Bernardus lib. de conf.

A Qui verò inter laqueos Dæmonu tui sunt, erunt ne quoque inter persecutiones hominum iniquoru securi? Ita sanè, quoniam istorum tamquam impotentiorum leuior solet esse conflictus. Non timent perfecti impiorum minas, atque terrores, nam aut bona animæ ipsorum, aut bona corporis volunt eripere. Anima bona, cuiusmodi sunt, gratia, charitas, virtutes, & dona reliqua huius generis, auferre non possunt, quæ sola habentis voluntate perduntur. Vnde Paulus audeat & scribit: Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.] Ab omni creatura hanc potestatem auferendi bona mentis eripit, seipsum solum excipit, dum semetipsum inter alia non numerat. Quia hæc est libertas, qua Christus nos liberauit, ut ait Bernardus, ut nulla penitus creatura auellere nos, aut vim facere possit. Soli id deserere possumus propria voluntate abstracti, & illecti à propria concupiscentia. Bona verò ad præsentem vitam pertinentia, qualia sunt salus, honor, dignitas, delectatio, externa substantia, & vita corporis, nec nisi Deo ordinante, aut concedente, auferri queunt. Si verò Deus ea ab impiis hominibus auferri permittit, perfectus id æquanimitè & lætè sustinet, cuius hoc præstantissimum bonum est, propriam voluntatè diuinæ voluntati habere concordem. Hinc illa Susanna fiducia, quæ adulterij accusata, ad iudicium iudicum iniustissimorum vocata, & in eorum proposito sententia iam dictæ mortis eneclata, erat cor eius fiduciam habens in Domino.] Hinc Paulus omnigenis tribulationibus impetitus ait: Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.] Hinc propheta regius canit: Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.] Hinc denique Apostolorum securitas, Martyrum animositas confessorum virtus, virginum gloriose victoriz, quia aduersarios aspernabantur, & in Deo, à quo se defendi certissime cognoscebant, suam fiduciam collocabant, in eoque vniuersa ad se spectantia iactabant. At permittat Dominus electos suos ab impiis affligi, dilacerari, discerpi, & omnibus bonis spoliari, & terribili morte mulctari: nihilominus adhuc persistant immoti, atque securi: quia mortem ut augmentum coronæ, & ianuam cæli respiciunt. Nonne rex inter aurifices, qui diligentissime diadema regium ei construunt, manet hilaris, atque securus ita perfecta anima inter tyrannos atque carnifices, quia ei immarcescibilem coronam fabricant, læta est, atque secuta. Sicut Agatha, quæ lætissime & glorianter ibat ad carcerem, & quasi ad epulas inuitata, agonem suum Domino precibus commendabat.] Mortem quidem secuta, & læta excipit, quia in eo seruo & corona gloriæ donatur, & modicum illud, ac corruptibile, quod videtur amittere, nempe corpus, seposita corruptione tempore statuto est receptura. Lignum habet spem, ait sanctus Iob, si præcisum fuerit, rursus virefcit, & rami eius pullulant. Si senuerit in terra ramus eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quasi cum primò plantatum est.] Hoc sanè lignum typus est viri iusti, de quo in Psalms dictum est, quia erit tamquam lignum plantatū secus decursus aquarum.] Indicatur itaq; nobis, iustum, spe resurrectionis, quam fide viuam credit, in summis discriminibus esse securum, nec timore mortis immoderatè sollicitari, in qua corpus suum, hæc sepulcrum, & in cineres versum, miseriam illam cum æterna

Rom. 8.

Bernardus ser. de duplici baptismo.

Dan. 13.

Rom. 8.

Psal. 17.

In eius vita.

Iob. 14.

Psal. 1.

vita

Greg. 12.
mor. c. 4.

Psal. 36.

Bern. ser.
de pass. c.
24.

vita, & pulchritudine gloriæ commutabit. Vnde Gregorius ait: Potest iam radix iusti, ipsa natura humanitatis intelligi, ex qua subsistit. Quæ videlicet radix senescit in terra, cum natura carnis deficit in puluerem redacta. Cuius in puluere truncus emoritur, quia extinctum corpus à sua specie dissipatur. Sed ad odorem atque germinat, quia per aduentum sancti Spiritus resurgit. Et faciet comam, quasi cum primum plantatum est, quia ad illam speciem redit, ad quam percipiendam creatus fuerat, si in paradiso positus peccare nolisset.] Quomodo ergo non erit securus, quia Deo disponente, & volente, deponit corporis vestem, ut eam post modicum tempus innouam, mundam, & nunquam rumpendam accipiat? qui relinquit exilium, ut proficiatur in patriam; qui è carcere soluitur, ut in aula regia commoretur; qui nouit, quoniam cum ceciderit in mortem, non collideretur, quia Dominus supponit manum suam?] Illud demum non præteribo, quo animæ perfectæ securitas seipsam periculis & anxietate liberat. Nimirum quod si, ut inquit Bernardus, ille in hac vita securus est, qui nusquam se securum existimat, ipsa ita secura, & tuta est, ut nunquam se omnino securam iudicet. Sed ingit seipsam, & omnia interiora, & exteriora sua discreta cura, & tranquilla diligentia circumspicit, ne quæ aut mundus eam fallat, aut aduersarius subuertat, aut caro decipiat. Quæ circumspectio, quia prudens est, dum gratiam subsequitur, & diuino auxilio nititur, miro modo defendit, & quia moderata est, animam nequaquam inquietat. Hanc in mediis periculis securitatem, si volumus ad perfectionem curramus, & ignauiam ac fociordiam deferamus, quia illa, dum Deo nos iungit, à telis hostium abscondit: hæc verò dum à Deo nos aliquantum separatur, periculis inimicorum exponit.

De libertate animæ perfectæ.

CAPVT XXII.

C I V E S, qui pacati sunt, & securi, communiter solent esse liberi, id est, qui precibus aut minis nulli se subdant, nec bonum facere, nec verum dicere metuunt. Omnis enim seruitus ex bellis exoritur, quibus bello capti, si morte liberantur, victorum imperio & obsequiis subiiciuntur. Hi autem semel bello in potestatem dominorum adacti, dum aliis accepto pretio venduntur, aliud genus seruitutis arctius, & eo ipso miserius inducunt. Vnde qui pace gaudent, & ab hostium incurribus turti sunt, non est cur in tristem seruitutis sortem venire formident. At ipsi sponte sese aliorum mancipia non facient, cum hoc à natura omnibus inditum sit, ut felicitatem, atque adeo libertatem diligant, & infelicitatem, ac eius comitem seruitutem, aufugiant. Et ideo Paulus Corinthios in scitiaz reprehendit, eo quod à libertate Evangelij ad legis seruitutem se transferri patiebantur. Sustinetis, inquit, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollit, si quis in faciem vos cædit.] Ac si diceret, in hoc ostenditis vos insipientes & stultos, quod innatum cunctis desiderium veræ libertatis deseritis, & carmoniarum legalium seruituti, quæ vos quasi seruos onerat, & quasi mancipia constringit, libentes collum subiicitis. Si verò pacem, & securitatem habentes liberi sunt, utique tum in factis, tum in dictis hanc suam libertatem exercent. Sicut enim seruorum est, heri arbitrio regi, & quod animo concipiunt & cupiunt, timore pœnæ silere, ita liberorum est, quod sibi libet, facere, & quod sentiunt, absque villo metu

2. Cor. 11.

A quibuscumque denunciare. Quare Ios rex Israel ab Amasia rege Iuda ad certamen prouocatus, tamquam liber, & securus, in hunc modum se prouocanti respondit: Dixisti, percussi EDOM, & ideo erigitur cor tuum in superbiam: sede in domo tua, cur malum aduersum te prouocas, ut cadas, & tu, & Iudas tecum?] Quibus verbis tam liberè prolatis monstrauit regnum suum ab insidiis Amasie esse securum, quem adhuc superbè perseuerantem euicit Ios, & thesauros eius diripuit.

B Anima ergo perfectæ, quæ pacem & securitatem possidet, magna quoque libertate perfruitur, & indices huius libertatis, opus intrepidum, & sermonem audacem ostendit. Magnam quidem libertatem habet, quoniam, ut Apostolus ait: Vbi spiritus Domini, ibi libertas.] Hic autem Domini spiritus in omnibus iustis habitat, sed in viris perfectis intimius (ut ita dicam) commoratur, & abundantius eis dona sua, & veram libertatem (quæ ipsius quoque est donum) elargitur. Perfecti perfectè peccati iugum excusserunt, quia charitatis seruore nullum sibi peccatum dominari permittunt. Et, si aliquid leue vulnus defectuum venialium accipiunt, statim compunctionis medicamento illi medentur, & animosius hostem, à quo percussi sunt, repercutiunt. Omnis qui facit peccatum, ait æterna veritas, seruus est peccati;] qui ergo peccatum non faciunt, & ab eo secundum gratiam sibi datam, quantum sibi possibile est, fugiunt, liberi sunt à peccato. Quam appellationem sanè honorificam illis Paulus attribuit, dum ait: Nunc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.] Liberos esse à peccato desiderabile est, seruos autem esse Christi, pretiosum est, quia nec illa libertas ab hac seruitute secerit, nec ista seruitus ab illa libertate separatur. Vnde idem Paulus ait: Qui in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini: similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi.]

C Vtraque conditio optima, inquit Ambrosius, esse sub Christo, sub quo, & pretiosa seruitus, & gloriosa libertas. Pretiosa seruitus quasi tanti sanguinis pretio comparata. Gloriosa autem libertas, quam nulla seruitus culpæ, nulla peccatorum vincula constringunt: nulla flagitiorum onera, nulla criminum commercia denegeris nexui seruitutis addicunt.] Ecce primam virorum perfectorum libertatem, qua vincula peccatorum dirumpunt, & se Christi seruos profitentur, cui seruire, libertatem non adimit, sed veram libertatem impertit.

D Hæc autem libertas à peccato, modica perfectis videtur, si non etiam, & ab incitamentis peccati, à mundo scilicet, diabolo, & carne liberi existant. Hæc perfectò libertate simul cum prima gaudent. Mundi quippe opiniones, & deliria despiciunt, nec quid ipse approbet, quidve improbet, quid mentiendo bonum iudicet, aut malum existimet, vlla ratione curant, diaboli latratus, & suasiones subannant, nec si se transfiguret in Angelum lucis, manifesti hostis adhortationibus acquiescunt. Carnis blanditias illecebratque despiciunt, cui satis consultum putant, si ei necessaria non denegent, & nullo modo ad luxum pertinentia concedant. Hoc autem iugum, ex quo primum peccati dimanat, abiectis & excussis, magnam perfectis lætitiæ occasionem affert. Quam Isaias oculis mentis obiciens ait: Latrabuntur coram re, sicut qui latantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.] Non perfectis ipsis, sed Deo hanc perfectorum libertatem

1. Pet. 2. 5.

2. Cor. 3.

Ioann. 6.

Rom. 6.

2. Cor. 7.

Ambros.
ibid.

Isa. 9.

ascribit

Ind. 7.

Esaii. ad
11. cap.
Isa.

Psal. 37.

Ecces. 1.

Psal. 115.

ascribitur & merito; ipse enim est, qui iugum seculi importabile à cervicibus sanctorum sustulit. Ipse est, qui virgam diaboli, id est, potestatem in peccatores acceptam, ne iustos ea fereret, comminuit, atque cofregit. Ipse denique sceptrum carnis, quo cordibus antea carnalibus dominabatur, & ab eis veftigal voluptatum vetitarum exigebat, miserabiliter superavit: Sicut in die Madian. Quid est sicut in die Madian? nisi quod sicut milites Gedeonis frangentes hydrias testas, & lampades ostentantes, & buccinis perforantes Madianitas fugarunt, ita milites Christi scilicet iusti, carnem suam calcigantes, & diaboli laqueos fidei luce detegentes, & adversus mundi doctrinam spiritus legem buccinantes, hostes suos proterunt, & in fugam vertunt? De hac autem victoria à Domino sibi concessa, non aliter letantur, quam messores, cum congregat triticum in horreum suum, aut quam milites, cum capta præda distribuunt inter sese inimicorum exauas. Ita inquam, letantur de hac mirabili libertate, quoniam hæc latitudo non sterilis est, sed quæ spolia istorum hostium victoribus, qui sunt perfecti, concedat, & frumenta meritorum, qui sunt imperfecti, recondat. Sed quidni letantur, qui iugum hoc grauissimum, quod aggrauatum erat super eos, purificatum à facie olei charitatis aspicunt, & virgam, quæ vulnerabat eos, fractam & comminutam intelligunt? Quod iugum, & quam virgam Sanctus Basilus hoc grauissimo sermone describit. planè intolerandum, & peracere iugum ille exactor iniecit humane vitæ, communis scilicet noster inimicus, virga cædens, & extorquens à nobis, vt suam vniuersam voluntatem experemus. Noscere vis, quas nobis plagas virga illa inuenerit? Audi dicentem: Pu-truerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ. Planè malitiosa hæc virga cicatrices perniciosi ac tetri doloris ingerit ei, qui vel est castus. Mihi nunc ad mentem reuoca vnum aliquem, qui magnis teneatur desiderii, & peracri cupiditate extimuletur perfruendi concupitis voluptatibus, quam hic affinis videri debet ei, qui illa hostili virga pertunditur, & abducitur ad peccatum? An non concupiscentia suos exacuit stimulos, atque etiam vrget, dolores inferens? isti sic intemperanti, vsque dum cicatricem peccati impresserit anime ingignens illi graueolentem ac fædum odorem, nempe immisionem obscenarum cogitationum? Qui tam graue iugum depulerunt, & virgam tam terribilem euaserunt, & in libertatem vindicati sunt, iure optimo letantur, & suo liberatori hymnum Ecclesiastici concinunt, in præcordiis suis dicentes: Liberasti nos secundum multitudinem misericordiarum nominis tui, à rugientibus præparatis ad escam, de manibus quarerentium animam nostram, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt nos: à pressura flamma, quæ circumdedit nos, & in medio ignis non sumus astituti. [Rursus dicit illud Dauidis: Dirupisti Domine vincula nostra, tibi sacrificabimus hostiam laudis, & nomen Domini inuocabimus.] Qui & hostias laudationis offerunt, cum non sibi, sed Domino hanc libertatem referunt, & nomen Domini inuocant, cum ab eis auxilio, sicut initium libertatis huius, ita & progressum & finem expectant.

Sed aliam perfectorum libertatem aperiamus, quæ non est alia, sed eadem libertas à carne, vel à carnali concupiscentia clarius & euidentius explicata. Perfecti enim, non sunt appetituum suorum & desideriorum serui, sed ea potius sanctitati & virtuti seruire faciunt, ac rationis imperio subiciunt. Non in eorum cordibus inordinati affectus agenda aut omittenda disponunt, sed disponit recta ratio, iubet lex, &

A imperat diuina voluntas, quid agendum, quid optandum, & quid cogitandum sit, aut ex aduerso, quid fugiendum, atque vitandum. Non illos amor immoderatus dementat, non odium infatuat, non desiderium distrahit, non auersio turbat, non delectatio dissoluit, non tristitia inquietat. Non illos spes ad alta sustollit, nec desperatio ad ima deprimit; non audacia temerarios, nec timor pusillanimes efficit: non ira succendit, nec æstibus indignationis inflammat. Sed hi omnes affectus, sibilo gratiæ confopiti, & funibus virtutum ligati, perfectionis captiui sunt, in cuius obsequium solum mouentur, & si aliquando proteruè resistunt, aut sui iuris esse contendunt, statim velut mancipia vilissima increpationem dominæ, scilicet perfectæ virtutis, & flagellum, ac virgam mortificationis sentiunt. Vnde impletur illud sanè stupendum, quod prædixit Isaias: Væ qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse sperneris? [Nam appetitus, qui ante conuersionem iusti, vires rationalis animæ diripiebat, & in famulatum effrenatorum desideriorum traherebat, iam à ratione & virtute diripitur, & sanctitati teruire compellitur. Implet etiam Dominus illud, quod promisit populo sibi dilecto: Si audieris vocem meam, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Quoniam iustorum affectus, velut hostes virtutis, catenis abnegationis vincit, & executione contrariorum desideriorum vniuersas eorum concupiscentias evertit, colque, qui iustos suis immoderatis motibus affligebat, tormento spiritualis crucis, id est, mortificationis, affligit. Quod & Paulus manifestè declarat, cum ait: Hoc scientes, quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruat corpus peccati, vt vlti non seruiamus peccato.] Vetus homo noster, vt inquit Anselmus, est vetusta conuersatio, fomes, & consuetudo peccati, & quicquid vitiorum ex primo parente sumpsit initium. Hic vetus homo in viris iustis potentia & virtute Christi crucifixus est, & clavis timoris & amoris Domini cruci Saluatoris affixus, vt pedes ad praua itinera & reliqua membra, (quæ sunt desideria sua) ad pristinos actus mouere non possit.] Viri ergo perfecti liberi sunt, qui auaritiæ motus, pauperatis amore comprimunt, luxuriæ æstus studio honestatis extinguunt, & dignitatum, ac honorum appetitus, humilitatis desiderio reiciunt. Imò ita dominio perfectionis subdunt, vt iam rerum mendicitatem, carnis mundiciam, & locam infimum iucundissimam repurent, & in quadam lætissima tranquillitate constituti, nequaquam appetitu rerum labentium molestantur. Rectè namque dixit Ambrosius: Quo autem pretio quies huius temporis aptius comparatur, quam vt ipsi mundo omnes diuitiæ, omnes dignitates, & vniuersarum cupiditatum materiam refunduntur, & sancto beatoque commercio ematur Christiana libertas: Fiantque filij Dei de paupertate diuites, de patientia fortes, de humilitate sublimes? Qui hoc pretio sanè vili sanctam libertatem emant, in sacris literis merito vocantur infantes. Quæmadmodum enim infantes, quamdiu ætas infancilis durat, nullis turbantur affectibus, nullis sollicitudinibus honoris inquietantur, nullis carnis motibus vrgeantur, sed quadam tranquilla simplicitate matris vbera, aut alia tenera puerorum pabula concupiscunt: ita perfecti malitia, & sinceritate paruuli, sed mentis puritate, & rerum gerendarum prudentia satis adulti, passionum rebellione, & affectuum impulsibus eximuntur, non quia eos non habeant (homines enim sunt, qui naturam mortalem, & fragilem non deposuerunt) sed quia charitatis abun-

Isa. 33.

Exod. 23.

Rom. 6.

Anselm. ibid.

Ambros. hb. 10. epi. epist. 84. ad Deme-triadem.

dancia

1. Cor. 2.
Sap. 10.
Zach. 8.

dantia affectus compreslerunt, & concupiscentiarum desideria domarunt. Quam libertatem propriam esse sanctorum Petrus edocet, dum fideles ad imitandam infantilem aetatem inuitat: Sicut modò geniti infantes, inquit, rationabiles, sine dolo lac còcupiscite.] Et Dominus magna asseueratione pronunciat ad vitam æternam còsequendam omnino necessariam esse salutem in aliquo gradu hanc sanctam & spiritualem infantiam. Ideòque ait: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruulus iste, non intrabitis in regnum cælorum. Hi sunt infantes, quorum linguas Dominus, vt ait Sapiens, facit disertas.] De quibus vaticinatus est Zacharias, quòd in tempore gratiæ erant Ecclesiam impleturi. Et plateæ ciuitatis ait, complebuntur infantibus & puellis ludentibus in plateis eius.] Et quidè ex Clementis Alexandrini sententia iure dicuntur infantes, qui solum Deum Patrè nouerunt, simplices, infantes, qui sunt vnicornium cornuum amatores: Qui scilicet vnitatem desideriorum amant, multiplicitatem còcupiscentiarum fugiunt, & idèo amatam ab omnibus libertatè inueniunt, & postquam inuenerint, seipsos spiritu libertatis vestiunt.

At multi viri perfecti eximios honores, & amplissimas dignitates obtinuerunt, & copiosissimas facultatibus abundarunt. Verum est hoc, sed nihil amplius eorum libertatem extollit. Nam ipsi non ambitione commoti, aut cupiditate incitati, honores & diuitias quaesierunt: sed Dei voluntate ducti, ad miserunt, & non vt serui rebus temporalibus adhæserunt, aut ipsarum amoru immoerato sese addixerunt, sed vt Domini dignitatibus & honoribus, non ad fastum, sed ad Dei obsequium, & opibus non ad luxum, sed ad necessitatem, & ad subleuandam indigentium inopiam vsi sunt. Dauid ex pastoritia humilitate ad regiam dignitatem euectus, vt hanc libertatem indicaret, ait: Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, si exaltatum est cor meum, & elati sunt oculi mei: Si ambulauit in magnis, & in mirabilibus super me.] Patriarchæ etiam antiqui satis prædiuites, & rerum temporalium abundantes, ferebantur, quia peregrini, & hospites erant super terram, & vt hospites huius mudi sine adhesionem, quasi vtensilia diuersorij, tractabant. Quibus sancti noui testamèti, inhærentes, opes & dignitates ad vsum habuerunt, non verò earum causa superbiuerunt, aut se de possessione rerum periturarum iactarunt. Quare de magno Basilio memoriæ proditum est, quod cum solemniter Epiphaniarum die à Beato Ephrem visus esset fulgentibus vestibus (prout Pontificem decebat) & magna pompa, ac copioso sacerdotum cætu comitatus, ab humili eremita despectus est, quasi ille esset columna sibi in reuelatione monstrata, non ignita charitate succensa, sed insigni superbia & ambitione in altum erecta. At ad sanctissimi & modestissimi Episcopi colloquium, & cõuiuium admissus, luce clariùs agnouit eum, multò magis intus humilitate, quàm extra Episcopali pompa fulgere, & puram illam animam minùs altissima dignitate, quàm ipsum eremitam rebus vilissimis oblectari. Hanc admirandam libertatem, quã Basilius habebat, omnes perfecti, licet non in eodem gradu, assequuntur, & quia ipsi non sola natura sicut ceteri, sed magnanimitate quoque omni honore & omni rerum temporalium abundantia maiores sunt his, quæ multò se minora cognoscunt, nequaquam se velut mancipia subdunt, sed illis ad vsum naturæ, vel ad Dei obsequium & proximum vtilitatem admissis, de cetero ipsa vtilentia, & parui momèti despiciunt. Aristippus Cyrenaicorum magister apud Lactantium, cum Laide nobili scorto habens consuetudinem, sic suum infi-

A gne flagitium defendebat, vt diceret multum inter se, & alios Laidis amatores distare, quòd ipse haberet Laidem, alij verò haberentur à Laide. Qua procaci, & inuerecunda sententia insinuare forsitan volebat alios meretricis esse seruos, se verò esse dominum, qui sine immoderato affectu concupiscentiarum abuteretur scorto. Sed infelix homo, & nomine philosophi indignus rectè mentitus est in caput suum, qui ius naturæ violans, & rationis lumen, quod ad se attinebat, extinguens, & leges diuinas proterens, in hoc magis erat seruus libidinis, quòd suam miseram seruitutem ignorabat, & dum impurissimæ voluptati seruiebat, se liberum esse iactabat. Quod igitur ipse mōdax dicebat, id ipsum de se perfecti veraces possunt pronūciare. Hoc nimirum inter se, & iniquos homines interesse, quòd ipsi habeant res temporales, & tãquam Domini illis liberè vtatur, alij verò vt vtilia mancipia dignitatũ, & honorum, & diuitiarum habeantur ab eis.

Hæc animæ perfectæ libertas, qua affectibus suis imperat, & nihil mundanum amat, nihil etiam vitæ transigendæ necessarium immoderatè concupiscit, tanta dignitatis est, vt Deus ipse omnipotens eam tamquam effectum suæ omnipotentia sibi arroget, vt nullus nisi eius beneficio talem libertatem assequendam existimet: sed, ait, quia ego Dominus, cum conuertero catenas iugum eorum, & eruo eos de manu imperantium sibi, & non erunt vltra in rapinam in gentibus, neque bestia terra deuorabunt eos, sed habitabunt confidenter absque villo terrore.] Tunc enim perfecta anima diuinam in se potentiam experitur, cum iugum peccati, cui libens colla subdebat, à se sublatum non sine probabili ratione coniectat. Cum à potestate hostium prædictorum, scilicet mundi, diaboli, & carnis, se liberatam aspicit. Cum à dentibus bestiarum terræ, id est, à morsibus affectuum cordis sui se ereptam vider. Tunc, inquam, diuinæ potentia, & misericordia hoc esse opus agnoscit, & à Domino quam ipse ex hac mirabili imitatione gloriam poscit, non aufert, imò libenter, & gratè tribuit, dicens: Quoniã tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisisti: Domini est salus: & super populũ tuum benedictio tua.] Et iterũ ipse Dominus alio in loco ait: Quis dimisit Onagram liberũ, (subintellige nisi ego,) & vincula eius quis soluit?] Onager, vt Gregorius autumat, eũ significat, qui corde saltem remotus à turbis & à negotiis sæcularibus, soli Deo, & sibi vacat, & si aliquam externam occupationem sustinet, eam non in aliquod temporale emolumentum, sed in Dei honorem & obedientiam refundit. Quis ergo potuit hominem curis terrenis affectum, & desiderijs rerum carnalium obductũ ad similitudinem Onagri huiusmodi curis & desiderijs eximere, nisi ille, qui absolutam potestatem in cor nostrum habens, valet rerum huius mundi exilitatem ostendere, & rerum cœlestium dignitatem aperire, & absque vlla vi, imò cum summa voluptate humanam voluntatem ab illis auellere, & in istis occupare: Hic dum cœlestia perquirat, & à curis terrenis liberatur, aptè dicitur liber, inquit Gregorius. Quia magna est seruitus sæcularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quãuis in eis sponte desudet. Cuius seruitutis conditione carere, est in mundo iam nihil concupiscere. Quasi enim quodam iugo seruitutis premunt prospera, dum appetuntur; premunt aduersa, dum formidantur. At si quis semel à dominatione desideriorum temporalium colla metis excusserit, quadam iã etiam in hac vita libertate percipitur, dum nullo desiderio felicitatis afficitur, nullo aduersitatis terrore coarctatur. Hoc graue seruitutis iugum Dominus vidit sæculari ceruicibus impressum, cum

diceret:

Ezech.
34.

Psal. 3.

Iob. 39.

Greg. 30.
mor. c. 12.Lactant.
lib. 3. dia.
cap. 15.

Mat. 11.

diceret: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos; tollite iugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde: Iugum enim meum suave est, & onus meum leve.] Alperum quippe iugum, & dura (sicut diximus) seruitutis pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desideriis adeptionis affixerant, post, ex pauore amissionis premunt. Liber ergo dimittitur, qui calcatis terrenis desideriis, ab appetitu rerum temporalium securitate mentis exoneratur.] Non sunt igitur diuites liberi, qui diuitiarum pondere prægrauati, non solum auro & argento feruiunt, sed iis, à quibus opes accipiunt, aut à quibus ad earum conseruationem & augmentum iuuantur, miserimè se subiiciunt. Non sunt potentes liberi, qui dum dignitate potiuntur, litigantium clamoribus obruantur, querelis quasi vinculis cruciantur; & eorum, quibus præfunt, curis & negotiis tamquam serui abiectissimi proteruntur. Non sunt liberi ipsi reges, & principes sæculi, qui onere regnorum oppressi gemunt; & si non gemunt, stultorum & amentium more, inter vincula & compedes se solutos esse conuiciunt; sed liber est, qui sola Dei possessione contentus, nihil terrenum cogitat, nihil caducum amat, nihil quod præterit, concupiscit. Huic, ait Dominus, dedi in solitudine domum, qui in quadam rerum penuria constitutus, vmbra meæ specialis curæ protegitur, & tabernacula in terra saluginis, qui in statu rerum terrenarum sterili, & vacuo, tranquillitate, & donorum celestium abundantia recreatur. Hic contemnit multitudinem ciuitatis, dum à confortio stultorum liberatus, cum Deo, & Angelis nititur inire commercia; & clamorem exactoris non audit, dum nihil temporale cum vrget, vt animæ suæ profectum acceleret, & ab eo quod spiritali profectui vile est, curis rei familiaris stimulat, in rempessu discadat. Hic denique circumspicit montes pascuæ suæ, & vitam illam celestem, quam imitatur, attentè perlustrat, ac virentia quæque requirit; nam virtutum opera, quæ nūquam deficient, & numquam à sua pulchritudine cadent, in pabulū hominis interioris assumit. O onager felix! ô asine spiritalis sapientibus huius mundi sapientior, quia quod stultum est Deo, sapientius est hominibus. O homo perfectè, verè inter mortuos liber! quia si illi mortui sunt, qui sectantur mortifera, & nullo cõpunctionis sensu, nullo vitæ sempiternæ desiderio tuguntur, tu inter mortuos viuis, & liber viuis, qui nec morti eorum subiiceris, cum impiorum criminibus non consentis, nec stupori & ignorantia eorundè succumbis, cum nullo rerum labentiu desiderio torqueris. O inquam, homo sapiens sub typo syluestris asini figurat, qui libertatem, quâ omnes querunt, & numquam inueniunt, fructuosè quæsiuit, & sapienter inuenisti, nequaquam per amorè temporalium à tua libertate decidas, sed cor mundum imperturbatumq; cõserua; & ab omni, quod Deus non est, affectum tuū diligenter amouero, ne à felici libertate, quâ perfectæ charitas ingerit, in miseram seruitutem cadas, & rebus, quas reliqueras, fascinatus, aduersarij tentationi succubas.

Iam ad effectus huius sanctæ libertatis stylū transferamus. Illi autè sunt duo, quos supra tetigimus. Primus est, quod viri perfecti, absq; vilo hominū respectu, quod bonū est faciunt, & nec minis, nec terroribus, nec promissis ab eo quod facere oportet, dimoueri se sinunt. Non curant, si mali eos rideat, si de suis operibus detrahāt, si eos abominentur, & persequantur, dummodo ipsi Dei iussa præsent, & consilia su-

A scipiant. Quod in Ieremia fatis perspicuè videmus expressum. Ipse enim nūc minitationibus impiorum impugnatus, nunc in carcerem coniectus, nunc ad mortem postularus, nequaquam à munere prophetandi desistebat, sed quod Dominus ei suggererat, sine vlla trepidatione predicabat: A deo vt audiat, Ego dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram, regibus Iuda, principibus eius, & sacerdotibus, & omni populo terra, & bellabunt aduersum te, & non præualebunt.] Talis est perfectus vir, non sicut harundo, quocumque vèto huc illucq; agitata, sed sicut columna ferrea, quæ nullis impulsibus à suo loco dimouetur. Et quemadmodum flumen, si ab astantibus laudatur, festinat ad mare, & si viruperetur, à suo cursu non cessat, & si aggere lapidum impediatur, impetum suarū aquarū agglomerat, vt impedimentū vincat, & in suum finem, nimirum in mare decurrat: Sic anima perfecta inter laudes & vituperationes hominum posita, nec propter illas propositum rectè operandi deponit, nec propter istas à cæpto desistit, nec propter quæq; obstacula, viam sanctitatis prætermittit. Ego, inquit, hæc anima, quasi fluius Dorix & sicut aquæ ductus exiui de paradiso; Dixi, rigabo hortum meū plātationum, & inebriabo partus mei fructum, & ecce factus est mihi trames abundans & fluius meus appropinquauit ad mare.] Est namq; instar fluius ex alio maximo fluuio deducti, quia emanatio est, quæ ad perfectionis Dei, & diuinæ puritatis imitationem. Egreditur etiã ex spiritali paradiso], scilicet è Christo Iesu, à quo quicquid in sanctis est perfectionis, emanat. Statuit itaq; apud semetipsam bona sua opera promouere, & fructum in aliis cæptum ad finem usq; perducere. Cui ad hoc præstandū malorum obstacula non magis impedimento sunt, quàm si inundanti flumini fragilium arbutularum sepe opponeres, aut fluctibus fremētis matris aliud ad eos frangendos, quàm Dei imperium obieceres. Hanc operandi libertatem præferebat Apostoli, quibus cum comminarentur principes sacerdotū, ne Christi virtutem denunciarent, responderūt: Si iustum est in cõspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate:] nō enim possumus, quæ vidimus & audimus, nō loqui.] Beatè animæ, inquit Bernardus hunc locum enarrans, & abundanti maiestate spiritus in fluētis, quibus utilitas, sublimitas, contumelia, gloria, patientia, victoria mirabili mirabilitate videtur.] Planè beatè, quæ ac si iam essent huius sæculi miseris ex præ, nec minas timent, nec vultus potentum verentur, & vt Deo obediant, iussis hominū contraire non meruunt. Hanc eandem præferebat propheta Deo in rebus quoq; in factis libentissimè obsequentes, & sententias atq; irrisiones hominū nihili reputates. Isaïas, vir nobilissimus, & ex regia stirpe progenitus, nudus in curia regis, & coram omnibus aulicis, ac discalceatus incedit. Ieremias per vicos & plateas ciuitatis velut seruus fugitiuus vinculis, & carnis cõstrictus progreditur. Ezechiel radit capillos, & barbā, & quasi vnus de infans hominibus pilos suos gladio persequitur, & in vèrum spargit, & igni cõburit. Oseas propheta sanctissimus ad mandatum Domini meretricis cõsortium sustinet, & mulieris prostituta congressum non erubescit. Obediūt igitur sancti Deo, & dū ei placere desiderant, vanas hominū opiniones spernunt, & ipsorū aut sannas, aut persecutiones pro nihilo ducunt. Sciūt ipsi, quia regnū Christi non est de hoc mundo, id est, non in rebus caducis, & contempribilibus, sed in rebus æternis, & pretiosissimis est constitutum. Quare rebus vilibus & caducis postpositis, & vanis opinionibus vulgi reiectis, id agrediuntur, quod rationi consonum, quod perfectè

Ierem. 1.

Ecc. 24.

Ahor. 4.

Bern. ser.

Isa. 20.

Ierem. 27.

Ezech. 5.

Oseas 1.

virtuti congruum, & quod Deo placitum iudicant.

A Alter huius libertatis effectus est, sermo, cum opus est, audax, & sine vilo furo veritatem pronuncians. Sancti enim nihil huius mundi amant, nihil perdere timent: quare nec illos à dicenda veritate desiderium opum, aut dignitatum auocat, nec timor magnatum abducit. Audio Nathan prophetam potentissimo regi Dauidi ob adulterij peccatum insultantem, & cum eum sub quadam parabola ad proferendam in seipsum sententiam mortis adegisset, liberè dicentem: Tu es ille vir, scilicet dignus morte, qui ouibus tuis pepercisti, & ouem vicini pauperis non sine ipsius crudeli morte suffrausti. Audio Eliam pauperulum, & seminudum, regem Achab his verbis increpantem: Non ego turbaui Israël, sed tu, & domus patris tui, qui dereliquisti mandata Domini, & secuti estis Baalim. Audio Ioannē Baptistam, qui mulierem iratam, scæna immaniorem non timebat, & Herodi carnis illecebris irretito publicè dicebat: Non licet tibi habere uxorem fratris tui. Audio Ionam, non iam soli regi, sed toti reipublicæ minitantem, ac in plateis Niniue proclamantem: Adhuc quadraginta dies, & Niuue subuertetur. Audio alios viros perfectos tam veteris quàm noui testamenti non sine vitæ discrimine similes increpationes in dynastas, in principes, in reges, & in integra regna buccinantem. Audio, & non demiror, quia video illos contempione sæculi, & despectione temporalis vitæ omni spererum temporalium liberos, omni vano timore vacuos, Dei autem voluntati prorsus addictos, quam vt expleant, & eius verba pronuncient, principum sæculi, qui sunt quasi pusilli culices, indignationem non horrent. Sanctitas profectò eos, quamuis statu sæculi, & conditione minimos, tamen animi magnitudine principibus huius mundi maiores effecit, quæ magnitudo ab illis, vt liberè prædicet, omnem timorem pellit. Nam si tu seruus patris tui absque vilo metu increpas, & absque vllis ambagibus reprehendis, & illum nunc furem, nunc ebrium, nunc canē appellas, quia ille seruus est, & tu filius; quare sancti, qui sunt filij Dei, mancipia diaboli non sine vilo circuitu reprehendant; & quod illi conducibile est, ad iugum iniquitatis excutiendum, sine timore non dicant. Sed ista sanctorum libertas, tum in operando, tum in loquendo non est indiscreta, nec temeraria, sed discreta, & sapientiæ plena. Quæ si necessarium sit, nouit opera non debita, & sub consilio posita abscondere. Scit etiam reuerenter, & submissè iniquis, verum patrefacere, vt quos acerbitas increpationis obduraret, lenitas verborum compungat, ad emendationem suauiter ducat. At si hominum aut durities, aut inuercundia, aut publica peccandi licentia seuerius medicamentum exigat, tunc nullo imminente periculo retrahitur, quominus veritatem palam annunciet. In quo multum esse cœlestis prudentiæ, & nihil audaciæ temerariæ, effectus istarum increpationum aperiunt, quæ inuercundos reprimunt, peccatores conuertunt, aut saltem Dei seueritatem in eos, qui obturant aures suas, aliquando exercendam iustificat. Equum enim est, vt de suis dilectis increpiti, qui non emendantur, seuerissimè castigentur. Si ergo tanti valoris est libertas, vt nec benè pro toto vendatur auro, quanta nobis esse deberet, perfectionis adipiscendæ cura, quæ animas nostras nexibus peccatorum, & affectuum liberat, & in hanc libertatem filiorum Dei propriam extollit. Hanc totis viribus cupiamus, & assequi enitiamur, vt verè liberi simus, & à iugo importabili peccatorum, à compedibus vitiorum, à vinculis affectuum, & ab ergastulo vani timoris liberemur.

2. Reg. 12.

3. Reg. 18.

Marc. 6.

Iona. 3.

A De sanctissimis cogitationibus, & desiderijs animæ perfectæ.

CAPVT XXIII.



Elices planè sunt viri perfecti, quia quod aliis nocere solet, sibi proficit: & ex quo alij accipiunt suæ salutis dispendium, perfecti eliciunt perfectionis augmentum. Pax enim, securitas, & libertas, quanta mala peccatoribus afferant, manifestè propheta commemorat dicens: Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ fororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium ipsius, & filiarum eius. Quod ita potest intelligi, vt ista fuerit occasio iniquitatis populi Israël, elatio cordis, rerum temporalium abundantia comitata, & otio, ac securitate fulcita. Illa quoque parabola Domini Saluatoris id ipsum declarat, quæ adolescens patri inobediens, & in libertate constitutus nobis proponitur; qui facultatibus paternis abutens, peregrè profectus est in regionem longinquam: & ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè. Et sanè nec in tantam miseriam, & calamitatem deuenisset, vt ingenuus homo pasceret porcos, & filiquis ventrem implere cuperet, si libertatem non amasset, & patris benignam correctionem sensisset. Ac populus Dei amabili pace & securitate poritus, non semel, sed sæpè in Dei oblivionem, & ex ea in fœdissima peccata lapsus est, aded vt summus ille Pater, cuius opus misericordia est, æquum existimauerit, filium sibi dilectum, & honorabilem, intestinis bellis affligere, & pace ac libertate priuatum manu regum alienorū subicere. Hos filios, & quidem miserabiles, solent in viris iniquis pax, securitas, & libertas parturire; sed in hominibus imperfectis consueuerunt partus nihil meliores emittere. Quod & quotidiani casus imperfectorum obedientia iugum abiicientium manifestè demonstrant, & antiqua Ecclesiæ tempora, in quibus persecutiones tyrannorum, fidelium strages cessarunt, non obscure confirmant. Simul enim cum pace, & tranquillitate Ecclesiæ segnitias intrauit, & hostibus corporum fugitantibus, immaniores hostes, nempe vitia, sanctitatem populantia, successerunt. Ideoque Dominus suauissimæ prouidentia suæ decreto lanciuit, vt iterū Ecclesiæ persecutio subintraret, & mors in populos fideles sentiret, quæ non tã homines, quàm vitia exorta, & delicta populorum succideret. Prodeat nunc Eusebius Cæsariensis Episcopus, & an hæc fuerit sequentium tribulationū causa grauissimis verbis edicat. Verū cum nos præ nimia quadam licentia, inquit, in mollitiem delicatam, & dissolutam segnitiam essemus prolapsi: cumque alij aliis inuidè, maledictis insectari, & prope nos ipsi inter nos petulantibus linguis, tamquam mutuis armis oppugnare, & casu aliquando verborum cõtumelias velut hastas, vnus in alium intorquere, & præfides Ecclesiarū alter alterius vires infringere, & populus in populum seditionem concitare occiperet; &c. Tunc demum iuxta illam Ieremiæ sententiam, obscurauit in ira sua Dominus filiam Sion, & deiecit de cœlo gloriam Israël, non recordatus est scabelli pedum eius in die iræ suæ, sed demersit Dominus omnem decorem Israël, & demolitus est omnes sepes eius. Hactenus multis omissis Eusebius. Mala igitur solè mali, & aduersa solent imperfecti, ex pace, & libertate decerpere. Quare non immeritò ille senator, cum de componenda pace cum Carthagenensibus apud patres conscriptos reipublicæ Romanæ tractaretur, pacem eloquentissima oratione taxauit, & bellū pacti anteponeđū esse

Ezech. 16.

Luc. 15.

Euseb. lib. 8. histo. c. 2.

esse

esse decreuit, ne scilicet iuuenes Romani ancipitis belli exercitatione seposita praeliari didicerent, & in effeminatam mollitiem, ac in vitia distulerent. Tanta est rationis naturalis lux, ut vel ea sola cognoscat pacem, & securitatem, ac libertatem hominibus praeliantri virtute carentibus nequaquam esse proficuum.

Hæc verò, ex quibus mali, & minus perfecti occasionem sapissimè iniquitatum, aut imperfectionum accipiunt, sanctos, atque perfectos mirificè in sanctitate promouent, & ad nouum profectum, & nouas virtutum actiones inuitant. Quid facit insipiens adolescentem, cum otio & pace perfruitur? Habenas imaginationi, & appetitui dimittit, & ineptis cogitationibus, ac impudicis desiderijs miserimam mentem illaqueat. Quid si securitas pacem, & otium sequatur? Tunc viam, ac modum querit, quo mala cogitata & desiderata teneat. Quid si libertas securitatem comitetur? Iam nihil non intentat, nihil non molitur, ut opere iniquitatem perficiat. Ecce, inquit sanctus Dauid, parturit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. In pace mala cogitando, intra se ipsum iniustitiam parturiuit. In securitate viam peccandi querendo, & praua suggestioni consentiendo, peccatum, causam doloris, concepit. Et in libertate malum perficendo, iniquitatem in lucem sibi tenebrosam emisit. At vir sapiens, ille scilicet, qui est virtute, & sanctitate perfectus, in pace & otio sancta cogitat, in securitate sublimia & cœlestia concupiscit, & in libertate his cogitatis, & desideratis perficiendis insiluit. Ille ex pace & securitate impudici amoris occasionem capiat, hic ex eisdem rebus an-

Psal. 7.

Gilbert.
ser. 1. in
cant.

am caput cœlestis amoris, atque diuini. Vnde de virtutibus spiritualibus, & perfectis Gilbertus loquens hæc ait: Libertate & otio quid accommodatius ad vsum amoris? Et libertas illecebram parit, in otio, & expeditur affectus, & non parum impenditur illi. Sic iste. Quando fuerit expeditus animus, tantò quidem impetior erit in illud quod amat. Vbi venit, ut cum fuerimus in otio redditi, tunc sentiamus acriorem morsum amoris diuini. E contra insensibilem penè redditi affectum frequens cura mudi, & quasi callum quemdam menti obducit. Animus cura implicat, quies explicat. Ad hoc ergo perfectis conceditur pax, ad hoc securitas, & libertas à Domino misericorditer datur, ut studio sancti amoris vacent, & amoris cogitationes habeant, amoris desideria concipiant. Videamus iam, quid perfecti cogitent, quid sancti desiderent; in omnibus enim sunt admirabiles, sed in cogitationibus & desiderijs nobis admirabiliores videntur; quibus communes homines in infinitum exuperat. Non illos cogitationes rerum sædarum turpant, non curæ rei familiaris sollicitant, non desideria dignitatum, & honorum dilacerant, non concupiscentiæ falsorum bonorum, quæ diuites, quæ magnates, quæ principes huius sæculi vincunt, vlla ratione discruciant. Cogitent hi, quo pacto aurum & argentum cumulabunt, quomodo ampliores dignitates obtinebunt, quam ratione inanes honores captantes, erunt coram popularibus illustriores. Cogitent, inquam, hæc, eademque desiderant; nam viri perfecti huiusmodi cogitationes fugiunt, & similia desideria prorsus abiiciunt. Non quia pusillo animo sint, qui hæc magna mundi, aut appetere, aut cogitare non audent, sed quoniam excelso animo sunt, qui hæc vilissima, & contemptibilissima, aut appetere aut cogitare dedignantur. Pulchrè namque dixit Ambrosius: Non ut dilectores huius sæculi putant, parui cordis, aut segnis est animi, terrenas opes spernere, honores occiduos fastidire, nec ibi gloriam querere, vbi laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & qui ini-

Amb. lib.
10. epist.
84. ad De
metriadè

A qua gerit, benedicatur. Vnde si bene intelligatur, contemptus iste rerum presentium, ad quæ tendat, & qualia concupiscat, nihil huius mundi mentibus rectius, nihil inuenitur electius; quæ sacratissimis desiderijs vniuersa transcendunt, neque ad vllam creaturam, quamuis potentem, atque mirabilem, sed ad ipsum omnium visibiliū & inuisibiliū ambiunt Creatorem: cui appropinquare, clarescere est; quæ tenete, gaudere est; cui seruire, regnare est. Huc vsque Ambrosius, & prorsus bene, atque sapienter. Si enim sancti terrenas opes, & dignitates, nec cogitent, nec ambirent, quia rerum viliorum amore tenerentur, possimus id illis animi pusillitati tribuere, at quia illa respicere erubescunt, quoniam cœlestes opes cogitant, & æternam dignitatem appetunt, non possumus magnanimitatem eorum non admirari.

B Si ergo viri perfecti, quæ magni huius mundi cogitant, non cogitant; & quæ magni huius mundi desiderant, non desiderant; quid cogitant, quid desiderant? Cogitant puritatem suæ mentis augere, sicut dixit quidam eorum: Cogitavi vias meas, & conuertit pedes meos in testimonia tua. Cogitant mandata Domini custodire; quare eiusdem verbum est: In iustificationibus tuis meditabor, non obliuiscar sermones tuos. Cogitant quomodo seipso Deo hostias acceptabiliores offerant. Cogitant quomodo, quod adhuc remansit veteris Adæ, prosternant. Cogitant quibus remedijs ad perfectionem nouos gradus perfectionis adiciant. Cogitant Christi humanitatem, ut eam induant. Cogitant diuinitatem, ut eam ament. Cogitant Angelos, vt eos sequantur; Cogitant sanctos iam æterna pace gaudentes, vt illos imitentur. Hæc cogitant, sed quid desiderant, nisi quæ suo sunt statui & dignitati conformia? Sunt serui fideles Dei? desiderant ergo in omnibus sui Domini iussa completere, & mandata custodire. Quorum desiderium verbis illis exprimitur: Concupiuit anima nostra desiderare iustificationes tuas in omni tempore. Sunt milites? Desiderant igitur arma deponere, & victoriæ præmium obtinere. Nam sicut ceruus desiderat umbram, & sicut mercenarius præstatur finem operis sui, ita habuerunt menses vacuos, & noctes laboriosas enumerarunt sibi: Sunt mercenarij, qui portauerunt pondus diei & æstus? Desiderant ergo felicitatis denarium. Ipsi, inquit, intra nos gemimus adoptionem filiorum expectantes, redemptionem corporis nostri. Sunt captiui erga stultitiam carnis inclusi? Desiderant ergo sarcinam carnis deponere, & à captiuitate liberari. Heu nobis, aut, quia incolatus noster prolongatus est, habitauimus cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima nostra. Et rursus: Cupimus dissolui, & esse cum Christo. Sunt filij Dei, sed adhuc paruuli, qui, ut inquit Paulus, nihil distant à seruis, sed sub tutoribus, & actoribus sunt vsque ad præfinitum tempus à patre? Desiderant ergo tamquam hæredes regni Patris, hæreditatem accipere. Quam vel à longè aspicientes exultant; exultant & cantant; quoniam transibimus in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei, in voce exultationis & confessionis, sonus epulantium. Sunt denique perfectissimi amatores Dei? Desiderant ergo illum, quem vnicè diligunt, dicentes: Sitiuit anima nostra ad Deum fontem viuum, quando veniemus & apparebimus ante faciem Dei? Sciunt ipsi, vt verissimè dixit Bernardus, quia Deus delectabilis est ad videndum, suauis ad habendum, dulcis ad finem perficiendum; ipse per se placet, & per se sufficit ad meritum; sufficit ad præmium: neque extra illum quicquam ab illis queritur, quia totum in illo inuenitur, quicquid desideratur.]

Psal. 112.
Psa. 118.

Psal. 118.

Iob 8.

Rom. 8.

Psal. 119.

Philip. 1.
Galat. 4.

Psal. 41.

Psal. 41.

Bern. in
mad. c.
4.

Gregor. 2.
mor. 6. 16.

Psal. 10.

2. Reg. 7.

Capit. 4.

Zach. 14.

Sciunt etiam, & non ieiuna speculatione, sed sapientia scientia cognoscunt, creata omnia non posse finis suorum cordium implere, & ideo illum solum desiderant, qui corda sua repleat, & mentes exsaltet. Optime enim Gregorius ait: Electorum mentes dum transitoria cuncta nulla esse conspiciunt, ad quae sunt conditae exquirunt: cumque eorum satisfactioni nihil extra Deum sufficit, ipsa inquisitionis exercitatione fatigata, illorum cogitatio in conditoris sui spe & contemplatione requiescit: supernis interferi civibus appetit, unusquisque eorum adhuc in mundo corpore positus, mente tamen extra mundum surgit, arumnam exilij, quam tolerat, deplorat, & ad sublimem patriam incessantibus se amoris stimulis excitat. Ita sunt cogitationes, ista desideria perfectorum, de quibus non est cur erubescant, & confundantur, quia pulchra sunt & decora, & omni sapientia ac munditie referta. His cogitationibus non fruantur, sed purgantur, & ad intimam Dei unionem disponuntur. His desideriis non inquietantur, sed ad verissimam tranquillitatem reuocantur, quia, ut est in Psalmo, desiderium pauperum exaudivit Dominus, & quod desiderant, aut re ipsa, aut certe spe firma consequuntur. Has cogitationes, & haec desideria nec ventus spargit, nec otiositas damnat, nec vanitas obruit, quae licet ad opus non veniant, praemium habent, laudem extorquent, mercedemque reportant. Vnde David cogitans, & cupiens aedificare domum Domino, ob solum desiderium absque opere audit: Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis, praedicatque tibi Dominus, quod domum faciet tibi Dominus.]

Cui ergo rei viros perfectos has purissimas cogitationes, & haec sanctissima desideria habentes comparabimus? Sanè similes sunt hortis, qui suavissimos odores lectissimorum florum spirant. Ita hi non foetores libidinum & prauarum concupiscentiarum exhalant, sed suaves virtutum odores, ex rebus à se cogitatis, & desideratis spargunt. Quorum causa audit sancta mater Ecclesia: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus: emissiones tuae paradisus malorum punitorum, cum pomorum fructibus. Licet enim sit hortus, diuina protectione conclusus, & humilitatis studio signatus, tamen ex odore verbis sanctorum declarato, quem extra sentimus, quam redolentes arbores in se contineat, non obscure percipimus. Sunt etiam similes sancti pixidibus plenis aquae stillatae ex rosibus, & floribus, & herbis salubribus, quantum vsus & sensum recreat, & corporis sanitatem asseruat. Ita sancti non aquas carnalium appetituum turbidas, sed stillas caelestium desideriorum continent, quas ex perfectis virtutibus tamquam ex floribus, & herbis saluberrimis ignis charitatis expressit. Quas si verbulo aliquo, vel signo perfectae animae in te iactatas recipias, miram voluptatem, & adiuuamentum spiritualis salutis senties. De his pixidibus odoramentorum plenis, vaticinatus est Zacharias, dicens: Er erunt lebetes in domo Domini tamquam phialae coram altari. Nam qui ante conversionem suam lebetes erant, fumo, & fuligine denigrati, & sanguine peccatorum, & impurissimorum appetituum imbuti, post conversionem in phialas crystallinas, & argenteas, & aureas commutati, decore sanctitatis splendent, & odoramentis sanctorum desideriorum pleni sunt. Viros quoque perfectos soli similes iudico, qui cum sit quaedam suprema lux, & velut pater lucis, non aliud ex se, quam radios splendoris & caloris emittit. Sic sancti velut quidam Ecclesiae soles, dum sancta cogitant, dum munda, & perfecta cupiunt, radios ex se lucis & caloris produunt. Dicat nobis vnus istorum, quid de

A istis radiis à Domino sibi liberaliter donatis sentiat. Lux vultus mei, inquit, non cadebat in terram. Quid lux, nisi cogitatio hominis est, qua sibi cognita manifestantur, & appetitio, qua sibi eadem familiaria redduntur? Haec lux in terram non cadit, quia nec appetit res viles appetit, nec cogitatio terrena conspicit. Tadem viti perfecti sunt viti spirituales, atque diuini, qui cognata sibi gaudent cogitant, & desiderant, nepe spiritualia, atque diuina. Quos Hugo Victorinus delineans ait: Quemadmodum virgula fumi, quanto magis sursum tollitur, tanto amplius extenuatur: ita caelestibus appropinquans, & omnem terrenam concupiscentiam nebulam euaporans, totus spiritualis efficitur: tandemque se humanis subducit aspectibus, dum ad terrena ista, & visibilia concupiscenda, magis exire reculans, intus in abscondito faciei Domini gloriarur. Itaque quod magis sancti proficiunt, quod magis per gradus perfectionis accedunt, eo ipsorum cogitatio purior, & eorum desiderium sanctius efficitur. Quod si aliquando temporalia cogitant, aut volunt, ad id non immoderata concupiscentia raptantur, sed aut iubente charitate, aut necessitatibus propriis, aut proximorum cogentibus impelluntur. Cogitant haec interdum, quia mortales sunt, quia inter mortales habitant, quia in mundo miseriarum pleno commorantur, at cogitant sine immoderata adhaesione, sine inordinato desiderio. Nouerunt namque, monuisse prophetam: Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet: & ideo temporalia (cum opus est) prudenter cogitant, sed curas in Domini finis projiciunt. Cogitant demum haec, quia status ita fert, quia charitas ita exigit, quia Deus ita disponit, & in ipsis temporalibus Deum cogitant, Deum desiderant, atque adeo semper spiritualia cogitant, & spiritualia concupiscunt.

C Non solum autem cogitationes, & desideria perfectorum spiritualia sunt, verum, (quod mirabilis est) somnia ipsa, quae dormiendo imaginatio ludens fingit, spiritualia sunt, atque diuina. Praeterea nunc insomnia quorundam sanctorum immissa diuinitus, quae ad genus reuelationum, & caelestium illustrationum pertinent, quale fuit somnium beati Ioseph, quo admonitus est accipere coniugem suam, quia quod in ea natum erat, de Spiritu sancto erat: Idem quibus etiam dictum est per Ioel: Senes vestri somnia somniant, & iuuenes vestri visiones videbunt. Tantum somnia ex somniantis qualitate orta commemoro. Haec in viris sanctis non semel sunt rerum caelestium, quae mentem non distrahunt, sed cum euigilaerit, colligunt, & in Dei amorem accedunt. Si enim quae in die cogitamus, (ut ait Bernardus) in nocte cognoscimus: qui interdiu nihil aliud quam sancta, & diuina cogitarunt, nihil aliud quam pura, & caelestia cupiunt, quid noctu, nisi eadem somniant, atque cognoscunt? In somniis certe saepe orant, saepe cum Domino colloquuntur, saepe verba contumeliosa sustinent, saepe tentationi resistunt, & quotidiana virtutis exercitia resumunt. Vnde istorum vita tota caelestis est, quae in statum quendam caelestem & supra captum humanum transfusa, non solum cum liberè, & ex electione operatur, sed etiam cum in aliquid naturaliter fertur, pro suo modulo in res diuinas & caelestes contendit.

E Haec autem perfectorum cogitationes, & haec desideria non sunt inutilia & infructuosa, sicut desideria imperfectorum, de quibus scriptum est: Desideria occidunt pigrum, noluerit quicquam manus eius operari: tota die concupiscit & desiderat. Sed sunt desideria proficua, quae oblata occasione ad manus exeunt, & in sanctas actiones procedunt. Describit ea idem sapiens adiiciens: qui autem iustus est, tribuet, & non cessabit. Ita scilicet iustus bona cogitat, & bona

Iob 29.

Hug. lib.
de arca
mor. 6. 7.

Psal. 54.

Matth. 11.

Ioel. 2.

Bern. ser.
68. de mo
do bene
vivendi.

Prov. 21.

Ibidem.

cupit,

cupit, vt nequaquam solis operatus desideris moriatur, sed desideria abundanter opere compleat, & operibus suis exemplum sanctitatis aliis, subsidium necessitatis attribuat. Charitas est, quæ iustos, atque perfectos ad sanctè cogitandum & sanctè desiderandum instigat, hæc verò nullo modo solis cogitationibus, nec solis desideris impletur, sed carnis, & appetituum mortificatione, & omnium bonorum operū exercitatione vt cumq; satiatur. Charitas enim sola est, vt Hugo Victorinus scripsit, quæ ab initio seruis Dei, mundi huius illecebras fugere, voluptates calcare, carnis concupiscentiam cohibere, desideria frangere, honores contemnere, postremò vniuersa huius mundi blandimenta respuere, ipsam quoque præ desiderio vitæ perpetuæ mortem suadet non timere.] Quæ ista suadet, imò ista præcipit, quo pacto cordis nostri arcem possidens, si instructuosa tantum desideria, videat, silebit? Istud ergo discrimen inter bona desideria sanctorum, & bona desideria tepidorum, aut iniquorum, si quæ huius generis habeant, diligenter agnosce. Quod hi, si aliquando verbi Dei auditione compuncti, bona cogitant, aut bona cupiunt, numquam vsque ad perfectionem boni operis, & ad destructionem peccati progrediuntur. Meritoq; Dominus eos per terram positam secus viam, & per durissimam petram, & per agrum spinis & tribulis opplerum, designat. Nam terram illam, cum bonam aliquam inspirationem conceperit, volucres cæli, id est, demones deprædantur: & insensibilem petram ariditas, & humoris vacuitas arefaciunt: atque agrum spinis obrutum spinæ, & tribuli curarum temporalium infrugiferum, ac sterilem efficiunt. Impij potentes sunt, sed vt faciant malum, ad virtutem autem pusillanimes, & impotentes, quia bonum facere nescierunt. Pulchrè enim de illis dixit Gregorius: Dura præ amore sæculi quasi quædam mollia, ac delectabilia ferre parati sunt: dum in hac vita rerum culmina apprehendere conantur. Cessationem Dominus à mundi laboribus imperat, sanctæ quietis dulcedinem persuadet, & tamen vesana iniquorum mēs plus se esse, qui aspera carnaliter, quam tenere blanda spiritualiter gaudet: plus acerbitate fatigationis,

Hug. tra.
de laud.
charit.

Luc. 8.

Greg. 20.
mor. c. 16.

A quam quietis dulcedine pascitur. Hoc euenit sanctis cogitationibus, & desideris, cum in corda malorum incidunt, quod istorum culpa nullum boni operis fructum ferunt. At iusti, & præcipuè viri perfecti, cum à Domino sanctis cogitationibus, & piis desideris visitantur (& iugiter visitantur) tamquam terra bona, & optimo bonæ vitæ ac sanctorum operum fructu replentur. Sunt ipsi oues Christi pastoris boni, quæ vocem eius audiunt, & operè illum sequuntur, quia sciunt vocem eius: Alienum autem sequuntur, quia non nouerunt vocem alienorum.] Audiunt, inquam, vocem Domini, cum eius inspirationes percipiunt, cumque ab eo immixtis desideris tanguntur. At sequuntur illum, cum gressibus sanctorum operum voci eius, id est, cogitationi & desiderio ab ipso dato respondent. Non sequuntur autem aduersarium noxia suadentem, & ad verita prouocantem, quia vocem eius, id est, suasionem eius, nec admittunt, nec agnoscunt. Tu igitur qui hæc legis, hoc perfectorum donum admirare, quod scilicet, Deo dante, & dispersiones Israël colligente, semper bona cogitant, semper etiam sancta & cœlestia desiderant. Si autem vis eiusdem doni particeps esse, ad mentis puritatem habendam enitere. Fac quantum potueris illud Bernardi, qui ait: Omnes cordis distractiones, & mentis fluctuationes in vnum collige, & in solo Deo totum desiderium tuum fige, vt tibi sit cor tuum thesaurus tuus desiderabilis, multumque amabilis. Ipse frequenter visitat, & libenter inhabitat tranquillitatem cordis, & orium quietæ mentis, quoniam pax est, & in pace locus eius. Propterea talem te prepara, vt tecum adsit Deus, sit in ore, sit in corde, tecum eat, tecum redeat, nec à te recedat.] Hoc Bernardi documentum perfecti perfectè custodiunt, & plusquam dici potest, à conspectu Dei numquam recedunt, quem semper habent suarum cogitationum & desideriorum testem, & intimatorum cordis inspectorem. Minus verò perfecti, qui ad perfectionem anhelant, idem documentum, & memoria teneant, & enixè custodiant, quia validum est virtutis exercendæ instrumentum, & magnum assequendæ perfectionis re medium.

Bern. lib.
de consc.
non longè
à primis.



PARS TERTIA.

De dignitate perfectionis ex parte diuinæ prouidentiae erga perfectos.

NONDVM perfectionis elogia completa sunt, sed quæ supersunt, vt effectus diuinæ prouidentiae erga perfectos, in hac postrema parte explicamus. Non quia supra dicta à diuina prouidentia res iustorum curante non manent (ab ea enim sicut à purissimo fonte deueniunt) sed vt ista quæ sequuntur, sub hoc nomine exposita, etiam superiora declarant, & quo ordine Deus sanctos commutet, atque perficiat, menti legentium aperiant. Primò ergo ipsam diuinam prouidentiam erga perfectos, quàm suauis, ac prouida sit, deinde verò eius effectus, quibus totum opus sanctitatis perficit, declarabimus.

De singulari prouidentia Dei erga perfectos.

CAP. XXIV.

DE prouidentia Dei erga viros sanctos, atque perfectos agere consulo in locū istum distulimus, vt tamquam splendidissimus sol su-

A periora, quæ scripsimus, & inferiora quæ dicemus, illustret. Sicut enim sol in medio corporū cœlestium collocatus nō tantum corpora, quæ deorsum sunt, verum etiam quæ sursum collocantur, illuminat: ita diuinam prouidentiam hoc loco tractamus, vt priora sanctorum dona, & posteriora collustret. Quam non